




SPECVLVM
SAPIENTIÆ
MATRONALIS,
EX
VITA SANCTÆ FRANCISCÆ
ROMANÆ FVNDATRICIS SORORVM
TVRRIS SPECVLORVM.

PANEGYRICVS.

Authore ANDREA VALLADERIO,
A SANCTO PAVLO *Foresiensi, Sacræ Theologiæ Doctore, Protonotario Apostolico, Regis Consiliario, Eleemosynario, & Concionatore ordinario Christianissimæ eiusdem Maiestatis.*

AD SANCTISSIMVM DOMINVM NOSTRVM
PAVLVM V. PONT. MAX. Qui
Beatam nuper solenni ritu consecrauit, Anno
salutari CIↃ. DC. VIII. Ad IV. Kal. Iunias.
Pontificatus sui Ann. IV.



Fecit & labrum æneum cum basi sua, de speculis mulierum, quæ excubabant in ostio tabernaculi. Exod. XXXVIII.



PARISIIS.
Apud IOANNEM RICHER, via Diui Ioannis
Lateranensis, sub Arbore virescenti.
CIↃ DC. IX.
Cum Priuilegio Regis.



BEATISSIMO AC SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO PAVLO V. Pont. Max.

BEATISSIME PATER,

Vidi te Domine quasi Angelum Dei, & conturbatum est cor meum præ timore gloriæ tuæ: valde enim mirabilis es, Domine, & facies tua plena est gratiarum. *Quidni mihi licebit non minus attonito illa præfari, quæ multo minori splendore perculsa Regina Hester per inusitatæ admirationis veluti ecstasim exclamauit? quàm enim illa me tanta gloria perculit, tam ista me diuina clementia recreauit: illa percelluit; hæc subleuauit; illinc horrores, inde amores, ancipiti lucta, animum mihi in diuersa raptatum distraxerunt. Illi diuinæ radij Majestatis,*

Tyara vibrante, diffusi altiorem humano fastigio hominem, inter homines, Pontificio iubare intermicantem præbuerunt. Illa infinita comitas, supra id omne, quod credi, aut esse potest, Apostolica, pendentem ex recenti iactatione fiduciam erexit. Quid dicam? quid faciam? Beatiss. Pater, pro innumeris in immeritum collatis gratijs, nisi vel taceam obliuiosus, vel eloquar indisertus, vel iactem gloriosus, vel obstupescam attonitus, vel, quod in promptu demum est magis, feram consepultas ingratus? Imò quantum potero sanè & latere, & pectore, & calamo contendam, vt orbis terrarum Christianus intonet vniuersus, illa benignitate, omnium nationum vocibus, reuerberante. Ille ego sum multum exercitus, atque iactatus, horribili Subsolano cautes, & breuia, & monstra crispante, delatus in alteram Vlyssæam Ogygiam, vbi ex iactatione, nouæ immortalitatis portum inueni. Iam vota persoluo, postquàm, malacia subridente, puluinarium tenui, spumas vndantes elisas sub pedibus fregi, flatus meis vtribus facilè conclusos coërcui, iámque à tergo salum conspicor, gestióque; vt discat aliquando tempestas me non inconsulto contingere, nisi cùm prosperatum, & coronatum volet. Immugijt illo turbine, pror-

ſus immaniter, pro minimo homine, ſed non ignoto quàm latè Gallia noſtra diſtenditur. Ego iam theatris argumenta præſtabam, an Comica ad ſannas, an Tragica ad clamores, & ad lacrymas: illa hoſtibus, iſta amicis. Illi ludebant, iſti lugebant; illi non tam mei, quam fidei hoſtes, oppreſſum, abſorptũ in fundo credebant, volebant; iſti depreſſum ad tempus, non oppreſſum ominabantur: illi funeſta omnia, & tetra, & ſanguinaria ſpirabant; iſti mitiora, & proſpera, & quæ modo ſunt, ſperabant. Næ! ſimul omnia illa inauſpicata, reuulſo ſipario, Ioue tonante, in leuem reuoluta flatum ſubito diffluxerunt. Gratias, ſuperi! grates, Beatiſſ. Pater, immenſas: inde mihi quædam diuina Calypſò, pro Harpyis emerſit: malaciam pro malicia, gloriam pro glarea, ſortem pro ſyrte, fructúſque pro fluctibus fœneratus, per nutantes Symplegadas, impulſu retrogado, ad vellus amabile proiectus in tutum, ex arenis emerſus aras teneo.

Saxa vocant Itali, mediiſque in fluctibus aras:

Ego Petri petram fundatricem Eccleſiæ Chriſtianæ potius ad meũ guſtũ interpretor. Italiam, Italiã &c. proxima hyeme, fera, immemorabili, prodigioſa, in-

uitis niuibus, hominibúsq; glacies perrupi, niues trãsmisi, Alpes trãscendi, Apẽninũ vici, Latium excurri, Romam appuli, Vaticanum tenui, tribunal Apostolicum applicui, suæ Sanctitati suppliciter obuolutus gratiam, qua non egebam, deprecatus; ius, quod merebar, comprècatus, vtrumque, tum quod nolebam, tum quod poscebam sum consequutus. Primùm ad meam causam (quis credat adeo diuinam clementiam inter mortales diuersari?) illa tanta Maiestas sese ipsa dimisit: me diù ad ipsius pedes perorantem benignißimè audijt: libellum meum ipsamet, per sese singulari admodum priuilegio, accepit, perlegit, destinauit: iudicem ipsa se esse voluit: disceptatorem, cognitoremq; ex sacro purpuratorum numero, eum maximè sua diuina manu RESCRIPSIT, *quem integerrimum priscæ sanctitatis exemplar, viuum, ac spirans simulacrum æquitatis, & totius Religionis omnes agnoscunt, Illustr. Cardinalem de Giury, qui negotio penitus pertentato, disceptatóque, ad suam Sanctitatem exactè, & sanctè retulit. Ipsa, cognita causa, Sacro ore pronũciauit, consciuitq;: primùm, vti mihi rite authenticæ tabulæ expedirentur, quibus in plenum omnis vitæ superioris, & votorum*

omnium quacunque obligatione exsolutus, & liber imposterum sedatiùs, tutiúsque viuerem: tum quibus meæ integritati, sinceritatiq́, ita penitus cautum esset, publico testimonio, vt nulla noui diuortij alia causa penitus, nisi honestißima, atque in summa, quòd mihi ita commodum foret, *redderetur. Deinde (quoniam, nulla mea culpa, imo ne cogitanti quidem mihi omnia cōtigissent) ita me beatū voluit, vt alia mihi omnibus his lōgè maiora, sed non paßim peruulganda contulerit, quæ, ne recrudescat inuidia, prætermitto; quibus nihil aliud voluisse, aut effecisse videtur sua Sanctitas, nisi vt, præter parietes, totus Societatis essem, totâque Societas mea, quam ita ex animo colueram, vt nisi Sanctißimum, secundum Deum, altißimúmque consilium aliud mihi consuluisset, idémq; consiliū fuisset multorum amplißimorū Cardinalium, aliorúmq; omni ex ordine grauißimorum inclytæ vrbis, sine cōtrouersia, hominum, tū exquisita doctrina, tū celebri vitæ probitate insigniū, mihi statutum, & certum esset, pactum semel vitæ genus nunquam abrumpere, atque ad extremum vitæ spiritum (quod mihi expeditum, ac liberum integra adhuc, & aperta omnia faciebant) in pri-*

mo vestigio sistere: de quo testem inuoco cordium scrutatorem Deum, nullam mihi tum aliam mentem fuisse; Quanquam alibi, æquè bene, æquè tuto, æquè fructuosè, me Deo posse, eiúsque Ecclesiæ inseruire nec dubitabam, nec ignorabam, imò recenti experientia sentiebam. Quanquam, vt illa maxima Societatis priuilegia mihi concessa silentio obuoluã, prò cumulo certè celebre illud, & illustre Sanctißimæ Inquisitionis, & beneficium, & testimonium omnem inuidiam iugulare, omnémq; calumniam obruere potest, quo, suæ Sanctitate præsente, sedente, decernente, maximi, & grauißimi Cardinales, ex suæ Sanctitatis sententia, mihi eximias facultates libros quoslibet prohibitos tractandi, legendíque, Hæreticos transfugas, cæteróśque eius generis criminum Reos absoluendi, Ecclesiæque Catholicæ, reconciliata fide, restituendi, concesserunt: diploma solenne super ea re etiam amplum, & graue ipsorum Cardinalium manu subscriptum, & publico Sacræ Inquisitionis sigillo obsignatum expedierunt, vt ad strenuè decertandum in isto Catholico stadio, duplicatis præsidijs, me armarẽt, vbi sine cuiusquam offendiculo, imò claro nostræ nationis applausu, Dei beneficio, hactenus pro sedis

Apostolicæ,

Apostolicæ, fideíque Catholicæ gloria, atque propagatione, tot annos dimicassem, pro qua, vel cum extremo periculo capitis, adusque extremam vitæ metam, siue per infamiam, siue per bonam famam; stat mihi inuicto semper, infractóque animo, Christo Domino Agonotheta, summo Pontifice Antesignano, contendere. Illa mei iuris; hæc Summi fauoris quæ dicam fuerunt. Afflictum, & iniquè vexatum illa diuinæ æmula Clementià SVB SVA SACRA TVTELA, SANCTAEQVE SEDIS APOSTOLICAE PATROCINIO *in perpetuum suscepit; primo adspectu; sua sponte; me neque flagitante, neque tam ingens beneficium aut sperante, aut expectante. Quid hoc homini afflicto dulcius? quid sanè tractato optatius? quid ignoto, nullóque fauore, nisi impenetrabilis innocentiæ, armato honorificentius accidere potuit, aut opportunius? Quid quod in eo illa admiranda benignitas sistere non potuit, verùm, quo me iacentem non modo opportunè erigeret, sed etiam gloriosè extolleret, pro coniurata infamia, me non obscura gloria exornauit? in sacrum, ac nobile Protonotariorum Apostolicorum Collegium gratis mera beneuolentia cooptauit? Planè diuino consilio sua Sancti-*

ctas gubernatur: nam illa benefacta, quæ me vnum ſpectabant, multo latiùs equidem diffunduntur: Liceat enim mihi, Beatiſſ. Pater, hanc vocem veritati dare; alÿ magno numero vel calumniÿs oppreſſi, vel aliÿs vexationibus impetiti, qui aliàs aut deſperatione præcipites acti ſe in hoſtium baratrum deuoluebãt, aut iniuria ſe præfocari, tum ingenti Eccleſiaſtici ordinis dedecore, tum maximo Hæreticorum riſu plauſúque ſinebant (immemores puellam violatã, quæ non clamauiſſet in vrbe lapidationi obnoxiam fuiſſe) aut hominum fauore perterriti extraria tribunalia experiri, quàm totius æquitatis fontem adire malebant, meo exemplo, & ſuæ Sanctitatis clementia inuitati ad communem parentem confugere, paternæq; illius, quam ego ſenſi, charitatis complexus adire nihil verebuntur impoſterum. Nihil dico Regem Chriſtianiſſimum Henricum IV. eius benignitatis præiudicato exẽplo, ſuæque mirabilis humanitatis inſtinctu permotum, me pari clementia complexum eſſe, mœroris penitus abſterſiſſe reliquias, me homuncionem ſummis honoribus, ac beneficiÿs ſuis ornaſſe, méque imprimis eo beatum feciſſe, vt maximo, optimóque Regũ, domeſtico, Eleemoſinariÿ,

& Concionatoris obsequia, deseruirem, quod ego fortunatum obsequium Aristoteleo genio, etiam cùm Alexãdro Magno præfuit, infinitis paribus antepono. Quæ tot, tanta, tam grauia incitamenta me Romæ in ingratissimo otio versantem impulerunt, vti interim auderem ansam, quæ prima iusta sese daret, arripere, vt quàm me suæ Sanctitati deuinctum sentirem, tum illi, tum posteritati testatum relinquerem. Per illos dies Sanctam Franciscam, admirabili fauore numinis, felicissimo successu, ingenti, ac planè regio apparatu, Sanctis adcensuit. Hìc ego testis oculatus existimaui reliquum mensem, quem inde Romæ egi, posse fructuosè occupari; opus absolui, Romano prælo dare volui, nisi negotia mea Trãsalpina profectionem meam quanquam incommodissima, atque ardentissima anni tempestate, maturarent; vt quamprimum Protonotarij Apostolici sacram, & peruetustam dignitatem me Pontificia liberalitate non frustra consequutum ostenderem; & simul eius vnũ antiquissimum munus exoluerem, quod Protonotariorum olim apud maiores nostros præcipuum fuit, notare, atq; describere illustria facta Sanctorũ. De quibus omnibus, quæ hactenus à me commemorata

sunt, locupletem, & certum, quem supra memoraui, Cardinalem de Giury testem habeo, aureæ famæ, incorruptæ fidei, inuiolatæ conscientiæ, integræ, & impenetrabilis religionis. Accipe igitur, Beatißime Pater, æternùm addicti, deuotiq; ingenij primulum pignus maiora, & grauiora, & opera magis ardua, ad sanctæ Sedis Apostolicæ obsequium interim parantis: maxima merces mihi operis erit, primùm si me sub sua sanctæq; Sedis tutela, quæ me vltrò suscepit, & beneuolentia, contra calumniam, meúmque hunc Panegyricum sibi dicatum, contra inuidiam, semper imposterum tueri, ac fouere dignetur: tum si omnes intelligent, quàm suæ Sanctitati viuã obstrictus: deinde si audient quem exitũ mea Romana profectio multis obscura, plerísque dubia, nonnullis suspecta, alijs molesta tandem habuerit: denique si perdidicerint, quàm solemnè, atque authẽticum, quàm serium & graue, quàm æquum, & pacatum, quàm iustum, & honorificum Societati in perpetuum vale dixerim; in amplißimo orbis theatro, ad tribunal Apostolicum, in oculis Pontificis Maximi, ad sacrosancta Vaticani adyta: quanquam sanè illa distractio magis corporum fuerit,

quàm mentium, & parietum potiùs, quàm voluntatum. Quod superest, Deum Optimum Max. quoad vita spirabo mea, obsecrabo, vt suam Sanctitatem tantoperè orbi Christiano necessariam, amabilem, & opportunam, perdiù nobis conseruet beatam, incolumem, florentémque; nostræ verò tenuitatis aliquando, saltem semel in vita, memorem.

Suæ Sanctitatis Humillimus, addictissimus, atque in perpetuum deuinctissimus famulus,

ANDREAS VALLADERIVS.



ILLVSTRISSIMO DOMINO;

DOMINO ANNÆ D'ESCARS CARDINALI DE GIVRY, DOMINO ſuo perpetuùm colendo.

ANDREAS VALLADERIVS S. ET FOELICITATEM.



T quis nouit vtrum idcircò ad regnum veneris, vt in tali tempore parareris? Planè Benedi- Heſter.4. ctina familia omnium Religioſorum ordinum Regina, ac parens, Cardinalis Illuſtriſſime, vndique laceſſita vel ad iſtius tuæ purpuræ gremiũ, indè ſolatium hauſtura, cõfugit, vel ad illius ſummæ authoritatis, atque amplitudinis dexteram, ſin minus inde opem, ſaltem commiſerationem, & gratiam aliquam reportatura, ſe recipit. Ecce, nouam tibi Sanctitatis Chriſtianæ propaginem, nouam ſuæ æternæ fœcunditatis ſobolem B. Franciſcam pro Aduocata, eius ſuſpiria pro vocibus, ſuas lachrymas pro ſepia, intimum pectus tuum pro membrana immittit. Hei mihi! ille florentiſſimus Ordo, qui nobis qualem habemus Eccleſiæ ſecuritatem, Majeſtatémque vel peperit, vel conſeruauit, vel propagauit; qui infi-

nitam cælo prolem, qui innumeros Ecclesiæ Christianæ religiosos surculos edidit, iam, viperinum penè in morem, à suis miserè fœtibus laceratur! quæ suo sanguine, & sudore, in media barbarorum, & tyrannorum rabie, tanto ex tempore, parauit, diripere, decoquere, sorbere profani, sacríque certatim, quasi ad visceratione mfamelici, inhiãtésque non desinunt. At satius fuerat quæ deuotarent suo Marte quærere; satius sese suo, quàm alieno saginare; satius venerabilem decrepitæ parentis canitiem suspicere, quàm in illius adhuc insepultæ scrinia, hæreditatémque domesticam inuolare. Sed nihil horum in mentem venire cupidis potest; dedecorent, depauperent, licitentur; nihil saluum in instituto monastico, nihil intactum, aut tutum in latifundijs, nihil sanctum, aut integrum in domicilijs relinquant, nihil tum, crescant, habeant, locupletentur modo. Certè quidem vetusta nobilium ædificiorum rudera, quanquam vetustate labantia, veneramur: priscas icones squalore, sitúque marcentes, ex illustrissimorũ virorum insculpta memoria, magno pretio habemus. Heroüm aliquando nobilium liberos, nepotes, pronepotes, abnepotes, posteritatem vniuersam obseruamus; tametsi eius gloriæ propagatores interijsse, posteros verò etiam in noxas abijsse videmus. Quid dulcissimas Sanctorum exuuias, sacráque spolia tumulis inclusa marmoreis, quàm piè, quàm sanctè suspicimus, colimus, adseruamus? Iam verò quas tot seculis, tot tyrannis obluctantibus, familiæ Benedictinæ reliquias exstare conspicimus,

conſpicimus, quis niſi amator ſui, alieníue raptor in dubium trahat, nobiliſſima eſſe glorioſiſſimi ordinis veluti rudera, inuictiſſimorũ heroüm viua adhuc, & ſpirantia ſimulacra, iucundiſſima innumerabilium Sanctorum pignora, diuinaſque reliquias fundatiſſimæ, atque antiquiſſimæ ſanctitatis? imò quotquot hodie diuina prouidentia, ad Chriſtianæ Reipublicæ ornamentum, ebulliunt noui ordines, aut à mille plusquam, & ducentis retro annis ebullierunt, guttulæ modò ſunt perexiguæ, aut fonticuli ad ſummum, qui ex illo ingenti Oceano defluxerunt. Nihil temerè, nihil inſcienter, nihil niſi certis, ſummíſque authoribus, dicam. Septem ampliſſimi, vt de minuſculis alijs taceam, adſtrictioris vitæ ordines notæ antiquæ, totidémque alij ſacrorum Equitum ex illa veluti perenni ſcatebra emanarunt. Illi notiſſimi. Camaldulenſis, vallis vmbroſæ, Ciſtertiẽſis, Montis Virginis, Cœleſtinorum, & Montis Olilueti, cuius poſtremi ſub diſciplina, mulierum cœtus è turri ſpeculorum à B. Franciſca fundatus, meretur: atque Sanctis omnes illi Ordines inſtitutoribus propagati ſunt, Romualdo, Gualberto, Roberto, Guillelmo, Petro Moronio, & Bernardo Tolomæo. Equeſtres etiam celeberrimi: Auiſenſis Alfonſo Luſitano Rege parente, cruce rubra: Alcantarenſis, viridi, Gometio Fernando authore: Mercedis, candida, Iacobo Rege Aragonum inſtitutore: Monteſienſis, rubra, Guillelmo Eriliotto Principe: Ieſu Chriſti, item rubra, Dionyſio Rege Luſitaniæ fundatore: S. Stephani, candida veſte, ſub

tegmine rubro, Cosmo Medicæo Magno Ethruriæ Duce propagatore, qua sacra Ethrusca militia, Leo XI. Pont. Max. etiam felici ordinis ornamento floruerat. Quid ego dicam viros heroës, qui, stupendo numero, ex hac diuina schola, veluti ex Durateo equo, ingentia orbis Catholici decora, prodierunt? Duos supra quinquaginta circiter Pontifices Maximos, in quibus septem origine Gallos, Ecclesiæ dedit: Cardinales ducentos, atque in ijs quinquaginta nostrates Gallos ad augustissimam purpuram euexit, quinquageno numero vndique sacro, & magno Iubilæo dicato tuis sanctissimis moribus reseruato; quinque Patriarchas Hierosolymitanos, vt alios præteream, mille sexcentos Archiepiscopos, quatuor verò Episcoporum millia gubernandæ Ecclesiæ subministrauit: virorum illustrium, ac Doctrina nobilium insignioris notę quindecim omnino millia extulit: Imperatores, aut Imperatrices tres, & quadraginta, Imperatorum liberos quatuor, & quadraginta, Reges, Reginásue sex, & nonaginta, ipsorum verò filios septem supra centum, alios Principes innumerabiles aluit, fouit, tenuit. At Sanctos Ecclesię sententia approbatos qui minimum dicunt quinquaginta millia numerant. Deus immortalis! hoc Sanctorum sacrarium, hoc tot summorum Principum domicilium, hunc tot heroüm perennem Oceanum, hunc tot summorum antistitum fontem ęternum, hanc tot Cardinalium officinam, hoc tot Pontificum Maximorum antiquum, augustum, diuinúmq; conclaue,

tamen inuenientur in genere humano, non dicam Christiano, quid si in religioso? qui contemnát, expilent, violent, cóculcent, depopulentur? Sed demissiùs agere hic depressior ad scribendum magis, quàm ad dicendum, locus postulat. Hîc opem, hîc quidquid carissimum habes, Cardinalis amplissime, conferendum. Tót te Pontifices lacessunt ex tumulis; tot ex ruderibus istis collegæ adhortantur; tot Præsules ex sactis templorum adytis obsecrant; tot viri clarissimi Heroës suis immortalibus insignium lucubrationum monimentis etiam, atque etiam obtestantur; tot è cælo Sancti inclamant; tot Imperatores, ac Principes ex vastis quò secesserant, solitudinibus vociferantur; ipsa tota sacrosancta familia expapillata, sorditata, semilacera, manantibus lachrymis, tibi in genua miserabiliter accidit, tibi supplices tendit manus, fidem implorat tuam, illa quæ Reginæ Hester olim Mardochæus magis singultibus, quàm vocibus insusurrat. *Si enim nunc silueris per aliam occasionem liberabuntur &c. & quis nouit vtrum idcirco ad Regnum veneris, vt in tali tempore parareris?* Imò equidem quis dubitat te ista morum probitate spectatum, illa vitæ Sanctimonia clarum, hac totius ingenij comitate amabilem, ipsáque tota aûthoritate, & gratia Pontifici Max. tenerrimè charum, vniûerso Cardinalium cœtui venerabilem, & gratiosum, omnibus bonis mirè commendatum, idcirco diuino calculo ad hoc fastigium euectum fuisse, atque selectum, vt opportuno subsidio, mœrenti, iacentique parenti tuæ, vt dignitate, & integritate

prçluces,ita ſtudio,& ope,& fauore ſuccurreres? Verū, quid tua? mihi obſtrepēt iſti aliqui? primùm, mirum in modum mea. Eundem enim, Cardinalis maxime, cum B. Franciſca Archimandritam B. Benedictū, religioſa vita & regula conſectaris: vt prætermittam diuiniſſimi Ciſtertienſis Ordinis quem vndique omnes impunè dilacerāt, patronum tutelarem conſtitutum fuiſſe, imò perparum abfuiſſe, quin ſemel, atque iterum, omnium votis, Generalis illius Abbas legerere, quod ego à Nicolao Boucherat eius admirandi ordinis Reuerendiſſimo Generali præpoſito, viro prudentia ſingulari, vitæ eximia Sanctitate, morum incredibili facilitate, totiuſq; ingenij maxima grauitate, toto Galliæ Regno, imo toto orbe Chriſtiano; quò Ciſtertienſis Ordo iam pridem penetrauit, celeberrimo, audiuiſſe me memini: eum verò ordinem B. Bernardi Auguſtini noſtri æterno miraculo clarum magis, quàm oculos meos, magis, quàm ipſa mea viſcera amo, colo, veneror que, vt feci hactenus, vt faciam in illa immenſa æternitate. Præterea ex quo tempore me es dignatus paterno pluſquam amore complecti, ita ſtatui me totum tuum eſſe, méque impoſterum omnem, quem aliò animum iam ante contuleram, atque omne ſtudium in eum Ordinem, quem egregius, & gratus alumnus ſuauiſſimè amas, transferre oportere. Nam qui me iniquiſſimè vexatum es benignè ſolatus, gremioque complexus, qui in mea lite ad Tribunal Apoſtolicum, iuſſu Pont. Maximi, referenda, ius meum caſtè, atque integrè tenuiſti, pro vexata inno-


centia stetisti, æquitatem rebus omnibus prætulisti; qui me demum tum primùm cognitū, & exploratū, dignū iudicasti, qui tibi inseruirem, & quidem in munere amplissimo, & honorificétissimo, de quo, rebus maturis, & quod breui speramus, stabilitis, gratias agá ampliores; nihil mei mihi reliquum fecisti, quod ego tibi non perpetuo nexu obstrictum putem. Quare neminem etiam toto purpurato Collegio seligere aut potui, aut debui vel mihi magis beneuolum, & fortunatum, vel sedi Apostolicæ magis iucundum, qui meam hanc opellam Romæ, lucubratione menstrua, te vidente, spectantéque, absolutam, Pontifici Max. pręsentaret, de cuius in me singulari beneuolentia me toties certum, beatumq́ue fecisti. Denique nostra Sancta D. Benedicto tecum addicta me vel inuitum impulit, monuitque, vt hæc auderem Domino meo, magna libertate, paucis exponere, eiúsque nomine, illa obnixè inculcare, vt quoties afflictam nobilissimam familiam Benedictinam vel ipse oculis videris, vel aliorum sermonibus inaudieris, vel meis scriptis deprehenderis, vel ipsiusmet lamentationibus, singultibusq́ue persenseris, toties de exquirendo remedio recorderis. Ita Deus Opt. Max. te nobis diù, quod omnes ex animo efflagitant, conseruare digne-tur incolumem, meiq́ue afflictissimi nuper, nunc tua, secundum Deum, ope, tuáque gratia felicissimi, semper amantem, ac memorem. Vale.



TABVLA,

ET SERIES OMNIVM, QVÆ HOC PANEGYRICO continentur.

AQVILA,



AD LECTOREM S. BENEVOLAM.

BENEVOLE, aut quicunque es, Lector, tu seu bene, seu malè velis (nam ita sunt humana, vt bonis mali malè velint, & malis etiā boni bene faxint) promiscuè tibi hanc opellam effundo. Boni consule, si beneuolus es, sin maleuolus, abi malè. Tamen nobis ne officee obsecro, nec de te vnquam, nec de publico, vel hîc, vel aliàs, malè mereberis. Scio, & sentio qui peius faciunt, ignauum fuci pecus, quadā prurigine mali ingenij, meliora arrodere malle quā facere. Ego nec carpi, nec carpere iā assueui sine fœnore. Audiverò: nihil moror porro istas noctuas, quæ magis plena luce cæcutiūt. Sancta ista sunt, & de Sanctis; oblatrabunt. Quidlibet sanè modò ne mordeant. Quæ sancta illi non violant? Euangelium lacerent, Sacros Patres calcent, omnes superos cōspuent, omnia de Sanctis vbiuis, à quouis descripta vellicent, & nobis Panegyricè in argumento recenti exultātibus parcāt? Nec verē sum, nec optandū, ac minus optādum etiam, quàm verendum. Sine mihi illas Cicadas obstrepere, constringemus. Non vereor vt sacra mea me præsente impunè profanent. Habeo vnde pruriginem illis abstergam. Si qui alij alienæ famæ prostitutores aliunde ebullient; si nostra, vel inficiatione obscurabunt, vel maleuolentia adulterabunt, vel ignorantia lancinabunt; primùm impensè mentientur, tum viriliter coërcebuntur: deinde opportunè castigabuntur. Iam experientia incudes sumus, malleos aspernamur, & tundimus: cautes euasimus, tidemus vndas, sistimus ventos: pleni spirituum, Deo spirante, plenis velis, duplicatis remis, valde serena securitate, ad Reipublicæ Christianæ obsequium, Regijs, atque Pontificijs auspicijs, nauigamus. Vos beneuoli, qui me iā placido portu spectatis, fauete, adspirate, suscipite: hîc nōnihil quo vtiliter pascatur animus deprehendetis; ego verò vestra beneuolentia immortaliter gloriosus, & tutus, magis seria, magisque negotiosa propediem elucubrabo. Ita valeas, ita prosperes, ita viuas, vti ego te colo, vti tute me amas, nec amplius, nec melius, amice, ac beneuole lector.

EXTRAICT DV PRIVILEGE.

PAR grace & priuilege du Roy il est permis à M^e. ANDRE' VALLADIER, Docteur en Theologie, Protonotaire Apostolique, Conseiller, Aumosnier & Predicateur ordinaire de sa Majesté, de faire imprimer par tel Imprimeur & Libraire que bō luy semblera vn liure intitulé *Speculū Sapientiæ matronalis &c.* Et sont faictes deffences à tous autres Libraires & Imprimeurs de l'imprimer, ny exposer en vente durant dix années consecutiues, sans le consentement dudit sieur Valladier; sur peine d'amende arbitraire, & de confiscation de tous les liures qui se trouueront imprimez. Voulant qu'estant mis le present extraict au commencement ou à la fin dudit liure, il soit tenu pour deuëment signifié, ainsi que plus au long le contiennent les lettres patentes sur ce données à Paris le sixiesme Ianuier mil six cens neuf.

Par le Roy en son Conseil

PASTOVREL.

NOs infrascripti Doctores Sorbonæ Parisiensis perlegimus librū R.D. ANDREÆ VALLADERII, cui titulus est *Speculum Sapientiæ matronalis, &c.* nihilque in eo deprehēdimus alienum à fide, aut bonis moribus, aut impediens quominus typis mandari possit. Romæ 25. Iulij 1608.

F. IACOBVS LE BOSSV. LVDOVICVS DE CROEIL.

ERRATA.

Errata	*Corrige*	*Pagina.*
ASsedisse	Affedisse	5.A
Deflragrante	Deflagrante	9.A.
Dragones	Dracones	9.B
Autenticè	Authenticè	12 B. & alibi sæpè
Lactœlum	Lacteolum	15.B
Tum	Tam	19 B.ter.
Sub tegmine	Subtegmine	20 A
Extrema	Externa	20.A
Frugalitem	Frugalitatem	25.A
Oppetandam	Oppetendam	27.B

Errata.	*Corrige.*	*Pagina.*
Premonuit	Præmonuit	28.B
Nec inopiniato	Necinopinatò	30 B
Ingerato	Ingrato	37 B
Dicerees	Diceres	39 B
Auertuncancanda	Auertuncanda	40.A
Lalessere	Laceſſere	42.A
Minora	Maiora	44 A
Visitata	Vſitata	44 B
Mentis	Meritis	53.B
Quæ tum	Qui tum	56.B
Ramuſculos	Ramuſculis	57 A
Tremendum	Tremendam	ibid.
Singulos	Singula	58.A
Antiquus	Antiquius	59.A
Locum eligunt	Locum exigunt	60 B
Dragenieta	Dragemata	74 A
Exaggerarenturque	Exaggerarentur	77.A
Stultio	Studio	80 A
Referreuti	Referrent;	83 A
Tu	Tum	90. A
Conueſtitæ	Conueſtitæ	90.B
Præcis	Preciſè	92.A
Frequenter	Frequentes	ibid.
Effigeum	Effigiem	94.B
Flagellis	Fabellis	95 A
Iteratam	Iterata	98.A
Priſcææ	Priſcæ	101.A
Vindique	Vndique	102 B
Paribus	Partibus	Ep.Pont.Antep.
Sucurere	Succurrere	Ep.Cardin.penult.



SPECVLVM
SAPIENTIÆ
MATRONALIS
EX

Vita SANCTÆ *F*RANCISCÆ *R*OMANÆ,
Fundatricis Sororum Turris
SPECVLORVM,&c.

PANEGYRICVS.



MAXIMA quædam vis est Diuinitatis, Beatissime Pater, cuius præclarissimum lumen tenebris ab omni parte densissimis circumseptum, & opaca quadam nostræ mortalitatis nebula circumuallatum, prouidentiæ tamen omnia moderantis euibratum igniculis emicat interdum, atque perrupta nostræ imbecillitatis caligine, quasi fulgur erumpit ex nubibus, & dissultãti; quodammodo impetu, dilucescit. Nunc cùm ex tanta varietate, tótque ex generibus, nullum esset animal, præter hominem, quod diuinæ scientiæ capax, aut interminatæ illius particeps Diuinitatis existeret, quæ natura illi anticipationem quandam sui

procreatoris iniecerat, ea expressam illius imaginem insculpsit in pectore: hominem summo consilio, & incredibili quadam celeritate mentis ornauit; illum tota conformatione corporis, non modo animi, stabiliuit, vt sua sponte ad cœlum, haud secus ac Heliotropion ad solare sydus verteretur, quò & illi radices obuertit, eo vt ingenio illum quasi ad cognationis, domiciliíque paterni conspectum, vt Plato testatur in Cratylo, excitaret. Illi concessit intelligentiam, quæ cùm aliud nihil esset, quàm emanatio quædam illius immortalis intelligentiæ, & fluxio, vt ita dicam, diuinitatis ea solertissime posset ratiocinari; mentem quandam diuinæ capacem indidit, qua ex rebus, quæ sub sensum cadunt, ad suas ipsius functiones moderandas, ad reconditas naturas rerum scrutandas, ad cogitationes suas supra seipsum occultis veluti, atque infinitis quibusdam machinis, præstanti quadam, præsentíque æternitatis imagine reuoluendas, sese ipse reflecteret: omnium seculorum non præsentium modo, sed longè dissitorum seriem replicaret: eoque tandem admirabili instrumento, immotus omnino, immensæ huius terrenæ molis abditissima quęque perrumperet; mergum ad maria penitus percontanda ageret; cœlos pernicitate mirabili pręteruolaret; denique erratico veluti quodam obnisu deerrantium, ac veluti in sese pereuntium alarum ad diuinam essentiam inexplicabili celeritate transcenderet, infinitam, inaccessam, ex sese mille infinitatibus idealium profunditatum fœcundissimam, vt soli Deo penetrabi-

lem, ita soli cognitioni merè diuinæ cõsentaneam. Ac fuerat satis conditori æterno, ista rerum creatarum tanta, tam varia, tam certa, statáque miracula edidisse, quæ dum videmus, obstupescimus, nisi vel ipsa sibi humana natura vilesceret, vel illa rerum familiaritas, & obfirmata in commeando, agendoque constantia ex ingenita lege firmitatem, ex firmitate assuetudinem, ex assuetudine contemptionem, ex contemptione fastidium faceret: dum ex necessitate nescio qua; ingrati! fieri arbitramur, quæ sempiternis præpotentis creatoris ordinibus, & perenni indicta serie semper eueniunt. Quis enim se teneret? quis non miraretur? quis non maximè obstupesceret, si hodie primùm solem adspiceret? Si Telluris sobolescentem fœcunditatem tam æquabili varietate dissimilem, si vicissitudinem temporum, ac tempestatum, si vim beneficam, & arcanam astrorum omnia penitissimè peruadentem, si vniuersi diuinam, complexámque veluti naturali quodam fato compagem, si retrogradas elementorum reciprocationes vltro, citróque, mutuis deliciis luxuriantes, si denique immensam illam terræ iacentis, subsidentísque molem suis libratam ponderibus intueretur? Ergo sapientissimus ille mundi opifex Deus eam rebus legem fluenti nexu adstrictam imposuit, quam cernimus satis, parum, vt par est, adoramus, à qua vel tantillum abscedere absque illius nutu, natura non potest. Verùm cùm ille eius solùm lusus esset in orbe terrarum, non operæpretium infiniti negotij, id sibi iuris in omnia reseruauit, vt illius natu-

lis ingenij veluti frænos adduceret, cùm vellet, atque remitteret, omniáque secus posset efficere, quàm destinata illa complexio postularet: quæ nos monstra, & prodigia, si inuisa, & extraria sunt; portenta, si bonorum, malorúmve prognostica; si verò suprema, si extraordinaria quadam potestate omnia naturæ curricula transcendente patrata, miracula appellamus: à quibus vt via quadam lactea ad omnium authorem, atque opificem agnoscendum, redamãdúmque, non tam spontè traduceremur, quàm odore veluti diuinorum aromatum traheremur. Quo in genere sunt, qui vnicè admirentur illas, inferiore sensu fatiscente, abstractiones à corpore; sunt qui rerum aut arcanarum vaticinationes, aut remotarum inspectiones, aut futurarum prædictiones; sunt qui redditam ægris desperatis vi diuina, & insperata quadam, valetudidinem; sunt qui cæcis aciem restitutam, claudis, ac mancis membrorum vsum reuocatum; mortuis denique vitam postliminio redonatam maximè obstupescant. Ego, B. P. qui illa magna duco, alia quędã maiora in Sanctis admiror, illa ipsius sanctimoniæ prærogatiua authoramenta, ex quibus illa alia proficiscũtur. Noster ille magnus Clarauallensis, qui non modò diuinitus scribebat, sed mirè ipse, passímque patrabat miracula, de suo fortunatissimo hospite Beato Malachia dicebat, maximum miraculum, quod præstitisset Malachias, fuisse Malachiã. ô Beata! ô sancta! ô diuina Roma! viuum, ac spirans simulacrum antiquæ sanctitatis, impietatis debellatrix, expultrix errorum, Caco-

S. Bernar. Maximũ miraculũ quod fecit ipse fuit. In vita S. Malachiæ

dæmonum triumphatrix, caput orbis habitabilis; specimen archetypum virtutis Christianæ, miraculum pietatis auitæ, hospita receptatrix omnium gentium, palladium Apostolicæ firmitatis, asylum æternitatis, perennitatísque Catholicæ; denique illibatissimæ Religionis emporium, arx fidei inexpugnabilis, scaturigo prodigiorum, officina sanctorum! quam tui partem habes non summæ sanctitatis impressam, dedicatáque vestigijs? Ignosce, B. P. inusitatus ille splendor, ac fulgor amplitudinis Romanæ, ita in hac me mea prima ingressione dicendi perculit, vt illa tantumnō, quæ suscepi, interrumpere hortetur: veruntamen de Beata Francisca Romana dicere cogitantem, quam tanto apparatu, tam exquisita magnificentia, adeo incredibili fauore numinis, pacatissimi huius pontificatus studia, & vota omnia prosperantis, in Sanctorum numerum intulisti, par est in isto vestigio, eodem ipso numine auspice, presse consistere. In quo tum multa sunt, quæ me perturbant satis, tum alia, quæ me erigunt, atque incendunt porro magis. Ego ille aduena Gallus valida tēpestate quasi proiectus ad Vaticanū, exarmata, laceratáque nauicula, immani pelago sua intestina odia despumante, ferocium vndarum vorticibus ebullientibus, infremente, insaniente, bacchante vesanissimo subsolano, audeam etiam vix dum malacia ex furiata procella recuperata; oppido postquàm vix dimidiato corpore enataui, ad Romana rostra de magna Romana, Romæ, non Romanus, Romanè dicere? de Sancta non Sanctus? apud supremam orbis

Chriſtiani majeſtatem nouus, atque ignotus? ad Vaticanum? ad puluinaria Apoſtolorum? audiente, ſpectante, diſceptante Pontifice maximo? nullo alio, quã præclaræ conſcientię inexpugnabili teſtimonio commendatus? heu me! effugiam ego crimen peripatetici Phormionis, quem ferunt coram Annibale, qui tot annos de Imperio, cum populo Rom. omnium gentium victore certauerat, aliquot horas copioſè, nec inornatè de Imperatoris officio, & de rei militaris tota ratione perorãtem delirum, ac veſanum eſſe habitum Græculũ hominem, qui nunquam hoſtem, nunquam caſtra, nunquam cruorem, nunquam ſolem, aut puluerem vidiſſet? ſed me ſuſtentat, ac reficit, Beatiſſime Pater, ſpectatæ huius tantæ ſanctitatis humanitas, quæ me nuper ſuis pedibus procumbentem illa ſtupenda clementia, madentem etiamnon, ſtillantémque ſuſcepit in littore, quæ amplexata, quæ ſolata eſt, quæ omnem ex animo penitus mœrorem abſterſit, cùm & me verbis, & ſacris amplexibus, & toto auſpicatiſſimo adſpectu, affatúque complexa, ſuis prætereа nec vſitatis, nec mediocribus beneficiis, & rebus ornauit; immeritum Beatiſſime Pater, ſed mœrentem, & ſperantem tamen, atque afflictum ab iniuſta, & inuſitata vexatione ad ſedem Apoſtolicam nec fruſtra, nec immeritò appellantem. Pax ſit rebus, Deo laus; etiam toto pectore geſtio me ita iactatum fuiſſe, ſi me ad hãc propitiam Calypſo deportare procella debuerat, atque ad iſtos amplexus Chriſtianæ Sanctitatis immittere; vbi tam ſalutarem, tam tutum, támque opta-

tum portum inuenirem. Gaudeo, exulto, & cresco me in sancta Romana, licet peregrinum, quod me aliqua ex parte contingeret, reperisse: liceat enim mihi semel exilire dicendo, & quæ nec fortuitò, nec temerè, sed aliqua numinis prouidentia, fuerunt, fortunato complexu consociata, connectere. Beata Francisca nobili parente, Paulo Buxensi, felicissimo satu prognata, præcipua quoque, vti accepimus, religione, B. Apostolo Paulo deuincta, cuius suburbanam ædem Augustam quotidie dum viueret, obfirmato proposito, adire soleret: deinde ordinis ab se postea ad Turrim speculorum instituti Regulam eiusdem Apostoli Pauli dictatu consequuta; ad extremum à Paulo V. Pont. max. quod felix, faustumque sit, atque inclyto Populo Rom. auspicatum, & salutare, fastis æternis adscripta Sanctorum, non indignè feret, vt spero, oratorem quanquam omnium infimum, ac penè infantem, sed à sancto Paulo tamen oppido Segusianorum in Gallia oriundum, præclara sua facinora, resque diuino miraculo perpetratas, peregrino, atque inculto stylo recensere. Tametsi antequam ad illa præclara venio, atque maxima, in quibus exultare, & triumphare qualiscunque tandem illa debebit oratio mea; placet cum sapore quodam iucunditatis minimè ingrato cōsonantissimam illam diffidentium rerum ab oculta illa vi numinis conglutinatam similitudinem commemorando prægustare. Nam neque Sancta potuit, nec Romana debuit, nec miraculorum effectrix experiuit, nec Pauli filia voluit ab alio Pontifice supremis

honoribus consecrari, quàm à Paulo V. in quo hæc omnia, conspirantissima consensione coniugata mirè consentiunt. Si consecrari, non modo laudari sanctā à sancto, scilicet laudatā à laudato oportebat, quē magis sanctū, quā Christū Domini? quē vita innoxia magis amabilē nostris seculis Apostolicū tribunal Pontificē excepit, quàm eum qui toto Tyara sacrosancto sanctissimus, sanctius viuit etiam, quàm induitur, sanctior inculpatæ mentis ingenio, tota passim Christiana Republica honoratur, quàm Romæ pontificio cognomento colitur? Si Romanum authorem Romana poscebat, quem Romanum magis, quàm è gente Burghesia pontificem, quo vel ipsa corporis majestate dignissima imperio, vel antiqua probitate, vel prisca grauitate, vel natali Romano ne Romam quidem ipsam magis vnquam fuisse Romanā arbitror? qui nō allata foris, sed spectata diù suis oculis, consecrandæ illius sanctimoniæ argumenta non diu solùm ipse spectasset, sed suis etiam sanctissimis moribus, rediuiua Romano populo id primum flagitanti expressisset? Ac si de miraculis fuerat afflatu Pontificio ferenda sententia, per quem aptius oportebat, quàm per eum, qui diuina subsortitione lectus Pontifex, purpurato conclaui propemodum nesciente, Deo suis nutibus humana consilia ludificante, ita vixit deinceps, ita viuit hodie, vti è cœlo lapsus magis inter homines, impenetrabilis prouidentiæ prærogatiuo calculo, quàm gratia, aut studio, aut factione mortalium ad illud amplissimum fastigium prouectus censeatur? nouit quid dicam

dicam tota Roma testis oculata gestarum rerum: audiuit, & gestijt illo delectu obstupefactus, & quasi in communi triumpho exultauit orbis terrarum vniuersus, cuius illa vox me sæpe afficit, reficítque mirabiliter pleróſque Pontifices aliàs ſuffragijs hominum, ſtudiiſque delectos fuiſſe, Paulum vero V. à numine ipſo donatum mortalibus iſta tam extraordinaria ſuffragatione diuinitus obueniſſe. Iam ſi Paulum parentem, Paulum ſanctum tutelarem ſortita, Paulum conſecrationis Antiſtitem expetiuit à ſuperis, & exorauit, proh ſuperi omnes! túque præcelſa Trias imprimis, quę nobis tantarum rerum effectrix extitiſti! quãtum, & quàm alium Paulum, qui non vſque ad cœlum tertium deportatus, ſed vſque ad inacceſſum ipſum puriſſimis cœlorum intelligentijs æternæ prædeſtinationis Empyreum, vſque ad ipſa profundiſſimæ Diuinitatis adyta, ad ſancta ſanctorum Pontifex tranſcendente volatu ſubleuatus, inibi ea arcana verba de ſancta Franciſca percepit, quæ homini loqui, niſi ſummo, inſpiratóque Pontifici nuſquam liceret? non dico an in corpore, an extra corpus. Hoc tantum affirmo, Beatiſſime Pater, atque hoc pace dicam tua, nulla re Pontifices maximos magis ad Diuinum illud numen accedere, quàm illa triumphali pompa ſanctorum ritibus hiſce ſolennibus decernẽda. Primùm, Chriſtiano, ac Theologo more, explicata ſanctitas, proprio comprehenſa nomine, gratia eſt animo inſtillata cælitus, cui infixa tantiſper inhæret, dum ſe quis ab omni labe lethali purum, atque incorruptum abſti-

net: de quo miracula quidem vt plurimum, & vitæ societas insolita quadam pietate exculta testantur, at & miracula patrare, impietatem vultu, vitam supercilio, scelera parietibus tegere ita improbi possunt, vt hominibus ad tempus imponant, nisi non sceleratus, atque perditus Iudas ille extitit, quem & diuini scriptores commemorant opera admiranda cum cæteris effecisse, & vulgo mortales pro Apostolo numerabant, adibant, venerabantur; quem Christus Dominus vnum interim ex omnibus Diabolum appellabat, intestina verò latrocinia ita iam deprauauerant, vt furem se, atque latronem multo antea, quàm proditorem, atque sicarium exhiberet. Deinde hoc etiam vltrò demus posse contingere, vt certa dum viuunt certæ probitatis indicia aut habeant sancti impressa in pectore vnctione Spiritus obsignata, aut alijs exhibeant nec fucata, nec tortuosa, aut perplexa foris (de quo tamen ne sibi quisquam blandiretur ille faciebat, qui neminem hominem certò scire ex ore sapientiæ vociferabatur vtrum amore, vtrum odio dignus esset) at de suprema hominis voluntate, quam volaticam, atque versatilem quamdiu versatur in corpore est cõsequutus, quis iudicare queat? De extrema verò constantia, de cumulata, atque vltima gratia vsque ad exitum vitæ retenta, quæ nobis, imò Angelis ne quidem aduertentibus vnica assensiuncula amitti potest, præsertim in ancipiti conflictu incerti, & horrendi, & summi agonis, quis non dico sententiam ferre, sed suspicari se posse confidat? vlla humana perspicacitate? vlla

quanta maxima diligentia? vllo ſuſcepto per omnes conjecturas, per quæcunque humana ſubſidia quàm exquiſitiſſimo labore, ac ſtudio? non eſt humani res illa conſilij. Deum Deum eſſe oportet: cum ipſa æternitate conſultaſſe: cum Diuinitate vixiſſe familiariter, ineffabilem præſagi numinis prædeſtinationem inſuſurrantem, inſpirantémque audiuiſſe, in ipſo Concilio aſſediſſæ diuiniſſimæ Triados oportet, qui id ſe poſſe polliceatur. Quę ſi nec ſunt, nec eſſe poſſunt huic noſtræ depreſſiſſimæ mortalitati conceſſa, quid reliquũ eſt, niſi vt qui ipſum queat, audeatue, homo ſit tamen, ipſius Diuinitatis ſuggerentis admonitu ad illa arcana ſubuectus aſpiret, eiuſque ex ore tum certò Deus ipſe illa per ſeſe, tanquam ex diuino oraculo proloquatur? Ac tenetur quidem ſummus Pontifex humana conſilia, & teſtimonia ſcrutari omnia ſapienter, inter homines collocatus vti humano more, atque ingenio tota conſultatio tranſigatur: quæ tametſi adiumenta ſunt ad conſilium diuinum exquirendum & neceſſaria, & opportuna, & in eo adhiberi à Pontificibus quanta humanitus maxima poſſunt ſemper ſolita, at negotiũ denique ex illa notitia determinari, abſque peculiari Dei inſpirantis inſtinctu, nullo modo poteſt. Planè cogitata, effata, effectáque Pontificum præpotentis afflatu prouidentiæ gubernantur. Parricidarum improbiſſimum ſacrilegum Caïpham vaticinatum de Chriſto ſotere fuiſſe memoria tenemus, quòd eius anni Aaronicum Pontificatum iniuiſſet; etiam Doctiores Hebræorum magiſtri ſcriptum tradiderunt

Hebræorum Pontificum pectorale gemmatum, gemmis vi occulta quadam ſua lumina collibrātibus, quaſi quibuſdam characteribus reſponſa, atque oracula reddere Iudaïco populo conſueuiſſe. Mirum! ſed verum, æterníſque legibus conſentaneum, ne vel improbitate, vel imbecillitate innata hominum vis illa ſuprema in ſuis ſacris adminiſtrandis illigata, vinctáque teneatur. Audebo igitur, Beatiſſime Pater, audebo aliquando præcelſæ illius fortunæ tuæ cauſa geſtire, gratularíque ex animo toti orbi terrarum? Ezechiel. 17. *Hæc dicit Dominus Deus. Aquila grandis magnarum alarum, longo membrorum ductu, plena plumis, & varietate venit ad Libanum, & tulit medullam Cedri; ſummitatem frondium eius auulſit, & tranſportauit eam in terram Chanaam: & tulit de ſemine terræ, & poſuit illud in terra pro ſemine, vt firmaret radicem ſuper aquas multas, in ſuperficie poſuit illud.* Ecquæ iſthæc Aquila aſtra præteruolat, præteruecta pernicibus alijs conuexa cœlorū, ipſam Diuinitatis immenſæ ſcrutata profunditatem, æterni arcani medullam inde auulſam ad nos tranſtulit? atque exinde volatu retrogrado iterum nixa Romani ſoli ſincerum germen in ipſa conuexa cæleſtium שמים ibi aqua globorum ſuperficie ſupra Empyreum, ſuper aquas cęleſtes, ſcilicet ſupra cęlos, quibus aquę dederunt nomen, conatu mirabili collocauit, vbi in totam ęternitatem fructum glorię ſempiternę proferret? Quidni iſta iſta Romana eſt Aquila, quæ mentis æternæ perſcrutata receſſus abſconditos miſeris hominibus replicauit, rurſúmque ſementem Romana tellure

grauidata proseminatam cælo intulit Franciscam Romana viuifica sobole procreatam? Certè quidem Aquilam, Beatissime Pater, præterquam Romana patria tuæ sanctitati communem, etiam Gentilitia illa Burghesiorum insignia propriam fecerunt. Aquilam autem maximè omnium pollere volatu, excelsissima quæque transuolare, defixo obtutu, imperterrita acie, in solis ardentem rotam intendere, pullos verò suis alis in sublime elatos ita probare ad radium solere, vt si immota pupilla astrum perferant, pro germanis habeat; sin conniueant, pro spurijs abijciat; nemini, opinor, obscurum esse potest, qui vel mediocriter fuerit in ista vulgari politioris literaturæ luce versatus. Ad quem porro potiùs spectabit definitam diuinitus de cuiusvis sanctitate sententiam, vel eruere abditissimis ignotę determinationis ex latebris, vel exinde erutam in vulgus efferre? hoc est, vt verbo dicam, sanctorum vitam ad solis illius intellectilis, quem Plato, & Trismegistus appellabant, puta diuini verbi archetypum radium, atq; ideam explorare? Adulterinas verò veteratorum simulationes probitatis specie personatas à veris secernere? Annon profectò ad Paulinam Aquilam vel Romano volatu præpetem, vel Pontificia perspicacitate cælestem?

Quanquam peto hanc veniam ab hac sublimi sanctitate, mihi vt liceat quandam bene longinquam veteris Romanæ magnificentiæ nec iniucundam, nec instituto meo alienam consuetudinem altius repetitam accersere: nam neque Primigenia illa Catholica

Ecclesia indecorum existimauit superstitionis antiquæ profanos ritus melioribus permutare, quantum per Germanam Religionem fas esset, vt Romanæ illius dominatricis potentiæ recepti tot seculis mores, non tam sublati, quàm aliquanto immutati, perfectíque putarentur; neque magnus ille Hieronymus abs re Christiana esse censuit, quod spoliandis Ægyptijs Hebræi præstiterant, nos ad nostros vsus sacrilegis veterum transferendis moribus vsurpare. Illa gloriosa Respublica, quæ nihil minus animo, totáque illa infinita ambitione, quàm adumbratam quandam diuinitatem conceptam haberet, suo typho immortaliter infatuata, fundato præsertim, & florente imperio, quos Imperatores diuinum aliquod supra hominem facinus patrasse duxisset, eos verò diuinis honoribus consecratos superstitioso illo quidem, & sacrilego, verum apparatissimo ritu inanium Deorum indigetum numero adiungebat: quòd Constantino magno Christianæ amplitudinis assertori accidisse vni inter omnes accepimus, vt idem à Barbaris inter Deos, & à Christianis inter Sanctos censeretur. Apotheosin illi dicebant; quæ ea seriè, eáque pompa adornabatur, vt Imperatore, qui referendus in Deos, & consecrandus erat vita perfuncto, pyram tabernaculi instar in foro construerent vario lignorum cumulo exaggerato, quàm auro, ebore, signísque, ac depictis tabulis exornatam alio super alio sese vsque tertiam cōtignationem in fastigium coarctante affabrè componebant. Aquila viua cum omnium Deorum aggestu in

Herodiā. li. 4. in Apotheosi Septimij Seueri.

Alex. ab Alex. Genial. Dierum lib. 6. cap. 4.

Plato vltim. de Republ.

summo culmine posita visebatur: senatus, equester ordo, viri triumphales, consularésque, quique in Rep. honores gesserant amplissimos, vndique magnifica purpura intermicante, procedentes lectulum in pyram festo carmine, hymnísque conceptis vndique circumsonantibus deportabant. Demum humanis, ac diuinis honoribus aggestis inflãmata pyra cũ vapore, & fumo Aquila agitata è summo vertice tabernaculi aëra petijsset, religio incussa fuit, adeò superuacanea vanitas illorum mentes infuscauerat, ipsius animum, per inane, cœlum petijsse, ipsúmque eo omni quod humana concretione contraxerat, defæcato, in numero cœlestium, & concilio Deorum receptum, atque habitum fuisse: quæ ego totidem ferè verbis exactè ab Alexandro descripta bona fide narraui. Arripio omen ex illa Aquila; reliquam superstitionem penitus respuo, atque contemno. Quòd si illi heroës leuioribus prælijs alieno hoste triumphato victores, suo intestino scelerum omnium agitatore victi, errore hominum, & commendatione fumosarum imaginum euehi putabantur ad superos: cur non omni etiam celebritate maximi honoris efferentur Christianæ illæ animæ Pancratiastæ, quæ vitijs fractis, mundo deuicto, carne prostrata, Tyrannis conculcatis, Diabolo debellato, Tartaro spoliato, seipsis triumphatis, stadio exercitatissimæ vitæ decurso, iam suis in cœlo triumphis elatæ æuo illo sempiterno fruuntur? Atque si parua magnis rectissimè conferũtur, vt Tullius dixit in illo Oratore perfecto, facessat

mihi procul illa profano cultu lignorum extructa congeries; aliam animo comprehensam habeo Salomonis artificis sapientia, & pereleganti Diuini pneumatis rerum creatarum opificis, manupretio in perampla Catholicæ Ecclesiæ area excitatam, non tam pyram, quam turrim, & quidem ligneam plenam speculorum, & pretiosarum imaginum, compositam alia strue, alia materie, alia Aquila, alio rogo, alijs tabulis, alio lecto, alia purpura, alijs aromatibus: in quo ne diffluat, aut exundet oratio: Turris illa reuera speculorum, & triumphalis pyra triplici ordine lignorum fabrefacta mihi erit Beatæ Franciscæ vita omni virtutum apparatu, triplici statu, videlicet virginali, coniugali, & viduitatis Religioso proposito cumulatæ compositissima. Tabulæ, & simulacra, seu specula malumus haud alia, quā eius virtutū & miraculorum imagines: lectulus, mors eius gloriosa tam grata varietate rerum maximarum præclara: senatus, & triumphales viri, certè amplissimus Cardinalium consessus purpuratus, quo suffragante, adstantéque, pompæ extremum negotium est exolutum: magistratus, qui flammam rogo submitterent, & reliqua turba populi acclamantis, vrbs Romana inclyta, & magistratus Capitolini quorum votis, & incensis precibus, Pontificia sanctitas, sublimitásque, hoc est illa sacrosancta Aquila summo rogo imminens eius victricis sanctæ celebritatem gloriosam sanctorum in cœlo regnantium triumphis consociauit.

At illa structura tabernaculi, ac turris triumphalis quàm

quàm apta! quàm affabrefacta! quàm multiplex! nũquid non illa Canticorum? *Sicut turris Dauid collum tuũ, quæ ædificata est cũ propugnaculis: mille clypei pendent ex ea omnis armatura fortium*: aut hęc Beata non sit illa formosa sponsa, quę se pulchram ait sicut tabernacula Cedar, sicut pelles Salomonis; quæ tigna domorum suarum iactat Cedrina, laquearia Cypressina, cuius emissiones paradisus malorum punicorum, Cypri, cum Nardo, Nardus, & Crocus, fistula, & Cinnamomum, cum vniuersis lignis Libani: quæ quasi Cedrus exaltata in Libano, quæ Cypressus in monte Sion, quæ palma exaltata in Cades, quæ plantatio rosæ in Hierico, quæ oliua speciosa in campis, quæ Platanus exaltata iuxta aquas, quæ Cinnamomum, & Balsamum aromatizans, quæ Myrrha electa, quæ quasi Terebinthus extendit ramos suos, quæ quasi vitis fructificauit suauitatẽ odoris; qua diuina cõgerie deflragrante, illo ipso igne, quem Christus in terrã immisit, nostra Francisca cælestes spiritus obstupefactos elata syderibus coëgit in illam admirationem erumpere. *Quæ est ista, quæ ascendit per desertum sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ, & thuris, & vniuersi pulueris pigmentarij?* Verè Cypressus in montibus, vitis in collibus, oliua in campis, rosa in hortis, platanus in lubrico, Cinnamomum in sicco, Cedrus in nemore, palma in littore; hoc est opinor, erecta in morte, fructuosa in thoro, mansueta in choro, vegeta in labore, firma in periculis, depressa in prosperis, inuicta in aduersis, incorrupta in corpore, intacta in mente. Ex

Cant. 3.
Cant. 4.
Eccles. 24
Cant. 3.

ijs lignis tergemina assurgit non temerè exaggerata, sed exquisito artificio elaborata substructio, Hexagona vndique strue, striatis opere Ionico, Corinthio, & Dorico per senos angulos distincta columnis, quarum quaternæ singula latera ad prospectum adornant, paulo alio trium ordinum situ, quàm alioqui in humanis ædificijs consueuit. Primã partem fascia pedalis multifaria diuersitate lignorum tessellata circumcingens stereobatæ locum obtinet: surgunt inde stylobatæ coronati, qui interjecta spatia aptè distinguãt: nec spatijs, stylobatisue non suus ornatus adjectus: ibi singularũ virtutũ Hieroglyphica argumẽta celata visuntur sigillis qua pedalibus, qua cubitalibus venustissimè circumscripta, supra stylobatas columnæ ad angulos binæ dispositæ: in ipsis verò intercolumnijs bini signorum loculamentis inclusorum ordines interjecti, vnus ad bases infernè profanarum imaginum, alter supernè ad epistylia veterum exemplorum sacræ historiæ: in maioribus interuallis inter columnarum scapos tabulæ ingentes vbi illustrium Beatæ Franciscæ factorum argumenta picturis insignibus, vel speculis, si lubet, pulcherrimè repræsentata miraculo sunt. Epistylia denique columnarum variato ordine egregiè facta multiplicia vestiunt coronamenta, quibus iniecta interstitia fabrefacta corona cinguntur ad summum, vbi vel columbæ, vel Aquilæ, vel Dragones vigiles mordicus tenentes Eucarpos, restésque pomorum, & fructuum floribus, frondibúsque multifariam intertextis bellissimè lemniscatos rostris obni-

rentibus cohoneſtant. In ſummo denique ſpectatiſſimus columellarum ordo coronatus compoſiti ordinis, ſed item lateribus cryſtallinis loco tabularum ad funeris miracula excipienda iniectis concinnè diſtinctus lecto excipiendo deſtinatus veluti tholum,& coronidem operi exibet; quæ generoſo volatu prætervecta Aquila aurea ſupremo faſtigio, alis expanſis,obuerſo ad ſolem obtutu diuinioris cuiuſdam potestatis, & Pontificiæ amplitudinis maieſtatem oſtentat.

STATVS VIRGINALIS *Sex Specula.*

Prima compages tota ex cedris, oliuíſque compacta ſtatum virginalem B. Franciſcæ deſignat: quòd cedri, quas alij ligna ſetim, incorruptæ, æternæq́ue, oliuæ autem pudoris amantes antiquis, nec niſi à virginibus ſatæ fertiles crederentur. Eucarpos floſculi generum omnium, frondéſque ex lauro intertextæ, quam fulmini imperuiam ferunt grata varietate, columbarum è roſtris pendentes componunt: intercolumnia ſenis loculamentis ſuperioribus filiam Iephte virginem complectũtur, qua pro patre cum hoſtibus congrediente ſuperis ſupplicantem, qua patri cum canticis occurentem, qua vouenti aſſentientem, qua aliarum virginum chorum conſcribentem, agróſque cum illo cœlibe comitatu percurſantem, qua ſeſe procul à ſocietate hominum in ſeparato tugurio concludentem, vt Hebræi Rabbini plerique ſentiunt; qua paterno gladio denique libera, atque innoxia colla tendentem: quibus quæ Franciſcæ virgini ante nuptias accidêre belliſſimè deſcribuntur. In inferioribus ornatus cauſa vetera illa antiqui pudoris exempla cer-

nuntur duodenę Sibyllę virgines binæ singulis spatijs collocatæ. Basibus affatim lilia sculpta tum spinis obuoluta, tum collibus adnata, tum aurea specie Gallica, alibi Syriæ Myrrhæ flores odoratissimi, qua corpora incorrupta vti & virginitate seruantur; alibi depressæ violæ, alibi maturiores Myrrhæ collectæ fasciculis, sacculisue, quibus inter vbera virginis sororiantis adpositis, incentiua libidinis mitigantur. Columnarum ordo Corinthiacus floridus totus, atque herbescens cum reliquo ornatu tendit eôdem. Coronæ ad extremum maiusculis literis aureis inscriptū inuenio. SICVT LILIVM INTER SPINAS SIC AMICA MEA INTER FILIAS. *Cant. 2.* Iam verò sex speculorum tabulæ totis affixæ lateribus, sex veluti tenerioris ætatis flexiones vsque ad initum matrimonium repræsentant.

1\. *ORTVS BEATAE FRANCISCAE, opportunus.*

Prima ortum exprimit. Aspicis genialem thalamū purpura vndique opere Phrygio auro intertexta nitētem, Aquilis Romanis arte plumaria bellè elaboratis, geminis Aquilis cedrinis anteriores natalis thori spōdas aptè sustinentibus? nam Romæ prognata Francisca anno Christi pro salute hominum corporati M. CCC. LXXXIV. Paulum Buxensem patrem habuit, Iacobellam Broffedeschiam matrem, vtrumque ex pręcipua Romana nobilitate, pietate pari, & religione clarissimum, dignum vtique truncum, vnde hic eximius surculus, flósque pudoris illibatus efflorescere t: nam Roma sancta tot myriadum sanctorum nouata, atque iterata successibus nequit non esse Sancto-

rum ferax, quæ ipsam sanctimoniam hospitalem, & diuturna hæreditate propriam est adepta. Ac si se Roma vetus heroicis illis temporibus formidabilem toti penè orbi habitabili exhibebat, quòd paucorum fortium virorum virtute bellica hocce perexiguum mundi sublunaris punctulum, in quo vno, Plinius inquit, humana digladiatur, & triumphat ambitio, subiugaret; quanto Roma Christiana potentior, quæ puellis infantibus aduersus effrenatissimum principem Tartarorum turmatim facto agmine conscriptis, Tartarumq́ populatur, astra conscendit, ipsam fælicitatem, & nunquam interituram immortalitatis gloriam pro lauris, palmisuè flaccescentibus fæneratur? Quid verò aptius ad exemplum, ac speculum orbi Christiano proponendum, quàm Romana puella, cùm nulla fuerit vnquam, nec sit hodie toto orbe terrarum sapiēter instituta, aut bene morata Respublica, quę Romana sibi ad imitandum non proponat exempla, seu morte pro fide catholica oppetenda Martyres, seu illibata castitate seruanda virgines, ac mulieres sexu fragiles, seu Religione propaganda Doctores, atque Apostolos, seu re ciuili stabilienda, sapiētes Legislatores æmulentur? quæ ego omnia vno verbo dico, cùm Romam nomino. Iam igitur nihil Sibyllas Italicas rara exempla Romanæ virginitatis moror, qui B. Franciscam Romæ inuenio.

Altera tabella sacros latices, & lymphas expiatrices facilè expingit ad sanctæ Agnetis, sub forum Agonis (qua paræcia paterni lares censebantur) vbi auspicatò II. BAPTISMVS *apposité collatus.*

primigenia labe expurgatam, vbi Christianæ Confirmationis Agonali sacramento munitá, atque armatá ferunt: vtrumque adpositè, nec sine singulari numinis prouidentia: quando, & B. Agnetis spiritus vna cum sacrato latice indidem hausisse videtur (quæ admiranda virgo vix duodecennis & Romana, & nobilis de sanguinarijs hostibus, ac tyrannis robore inuicto animi triumphauit) & eodem loco ad Christianum agonem peruncta sacratiore Ceromate, in Agone Romano, per Christum Aliptam, atque Agonothetam quo hæ inuictissima, Amason pancratiasta, decurso laboriosissimo stadio, cùm nusquam vel leuiter ad metas adhæsisset, supernæ vocationis brauium est consequuta. Nemo siquidem Imperator vel plura certamina cum hoste gessit, quàm illa cum Dæmone; vel grauiora prælia cum varijs gentibus, quàm illa cum carnis illecebris commisit; vel maiora spectacula ex collectis spolijs, quàm illa ex toto illo mundano fastu conculcato edidit, vel plures palmas ex stadio retulit, quàm illa corollas ex quotidianis sui victorijs obtinuit: quæ vna plures Cacodęmones vicit, quã omnes illi Heroes in acie milites viderunt, plures triumphos fœmina reportauit, quàm vel legimus ipsi,

III. vel fastuosa Romanorum veterum insolentia iactitauit.

III. INCVNABVLA. *Ecclesiæ Catholicæ laboranti auspicata.*

Tertia pictura, Virginis Cunas circumuolitantibus quaquauersum Alcedinibus ex ligno oliuarum confectas effingit: ea siquidem maximè tempestate diuino beneficio fuit B. Francisca in hanc lucem edita,

qua Principis Apoſtolorum nauicula turbulentiſſimi ſchiſmatis horrenda quaſſatione penè collabefacta, eam cladem ſenſit, qua clade vix maiorem vllam inde vſque à fundata Eccleſia orbis vnquam ſenſerat Chriſtianus. Atenim cum Gregorio XI. Gallo Lemouicenſi Pont. Max. qui ſedem Apoſt. Auenione Romam quaſi poſtliminio reſtitutam exportauerat, vita functo, Sacri Collegij pileati patres Vrbanũ VI. Comitijs ad Vaticanum habitis, iiſque ſatis turbulentis ad ann. M. CCC. LXXVIII. menſe Aprili ſublegiſſent, quarto poſt menſe factioſi quidam, & diſciplinæ impatientes ex ſacro numero Robertum Geneuenſem (nomẽ fatale Chriſtiano Imperio) nomine Clementis VII. Fundis in Romana Campania, ſubſortitione inauſpicatiſſima ſubintulerunt. Quare cùm eò res adducta eſſet, vt fœdiſſima defectione Roma cum verò Pontifice desereretur, iterum ambitioſo ſchiſmatico vexillifero peteretur Auenion; ſupremum illud numen, cuius nutu ſola terrarum gubernantur, ita maximo malo medendum cenſuit, vt ex ſuo edito cœlo ſeſe pro Romano Pontifice ſtare præſentem maximis indicijs demonſtraret. Quod enim ferunt turbato, atque fluctuanti pelago iniectum oleum fluctus ſedare; volucréſque Alcedines cum mari nidificaturæ inſederint, quantumuis iratum, commotúmque ſalum tantiſper conquieſcere, dum pullos excluſerint; idem mihi prouidentiſſimus Deus voluiſſe videtur, vt cũ latè omnia ſacrilegis armis horreſcerent, animas ſanctimonia excellentes, fulgentéſque miraculis mundo inferret,

quarum merito, oppositúque turbæ illæ immanissimæ placarentur. Miratur B. Antoninus in illa generali coniuratione vtrámque partem sanctos miraculis claros, vtrámque viros, sine exceptione, doctissimos, vtrámque successus subinde prosperos habuisse: longè mihi alia mens est Beat. Pater, & quanquam schismatici perduelles sanctos penes se allicere, & iactare voluerunt, vt ea sanctitatis specie maltrucati vniuerso orbi terrarum imponerent, eos tamen proprios, & veluti hæreditario iure redonatos germano Pontifici is maxime videbit, qui rerum gestarum momenta non vulgari decempeda, sed illa sinceri iudicij exacta statera pensabit. Non sum nescius tempore Clementis illius subreptitij, Auenione Beatum Petrum Luxemburgensem diuinum adolescentem, quem ipse Cardinalem fecerat, tantis, tam certis, testatísque, tam inauditis hactenus prodigijs floruisse, vt de paucis ex Sanctorum numero, neque plura, neque magis testata legantur: vidi ego Auenione non numerata solùm, verum etiam ritè testata, digesta, & obsignata mille nongenta sexaginta quatuor, inter quæ duos, & quadraginta mortuos proximè ab illius interitu biennij spatio, à mortuis suscitatos. Veruntamen ijsdem in actis autenticè compilatis, ego item perlegi sæpiùs illum tentasse sese à schismatici consortione seiungere, ídque ita clam aliquando adornasse, vt coëmpta ex crassissima canabina tela veste vsuaria, purpura abiecta, solo rituali breuiario armatus per pseudotyrum, elabi, remotis arbitris, & in vastam solitudinem secedere

dere tentarit, cùm in ipſo veſtigio, ab Ægydio, qui illi erat à confeſſionibus per vim retentus, atque ex itinere abreptus, deinceps illa tyrannide adoleſcens oppreſſus ibi conſiſtere, in illo candore inculpatæ, iniurateque conſcientiæ cogeretur. Atque vt diuina quoque demonſtratione, cæleſtique indicio eius impietatis nihil præter domicilium habuiſſe oſtenderetur, quæ miracula tot, tantáque patrauit, eo iam, anno ætatis duodevigeſimo, vita defuncto, potiſſimum acciderunt, ne eius vita ſchiſmaticus gloriaretur, cuius glorioſus interitus Catholicæ Eccleſiæ deſeruiret. De magno illo Vincentio Ordinis Prædicatorum, quem iure quis optimo occidentis Eccleſiæ Taumaturgum, atque Apoſtolicæ mentis veluti exſuſcitatorem appellauerit, certè à Verſipelle illo Lunatico archipirata Petro de Luna Pſeudoclementis in ſchiſmate ſucceſſore, ex Hiſpania ſubdolè, & veteratoriè accitum eum fuiſſe conſtat, illi vt eſſet tum à confeſſionibus, tum à concionibus: nam ea vna arte ingenium illud per omnia verſatile, & captioſum ſuam factionem poſſe conualeſcere neque inſcitè ſubaugurabatur: at ille Sanctus poſtquam Cardinalatum ab illa vulpecula vltrò oblatum recuſauerat, poſteà eius ſcelere magis deprehenſo, cùm ſæpe hominem admonuiſſet, ſæpe increpuiſſet, ſæpe per fugam deſerere fruſtra tentaſſet, tandem ſeriò diuino viſo ſeſe inde proripere coactus fuit. At B. Catharinam Senenſem maximum Religionis Chriſtianæ miraculum, clementiſſimus Deus primùm Vrbano ſexto anxiè admodum laboráti proui-

Pſeudocl. Perpinianũ manuſcriptum vita B. Vincẽtij.

derat (qua authore Apostolica sedes ex diururno septuaginta annorum diuerticulo, iam Auenione Romam paulò ante reuerterat) quę & crebris illi litteris animos adderet, consilia veluti Sibylla altera daret, remedia suggereret; quæ Principes Christianos in officio contineret, ac de eius germana electione securos, tutósque redderet; quæ transfugas Cardinales non muliebri fortitudine, vt resipiscerent, commonefaceret; quæ ad extremum penè sola orbis Christiani propemodum fatiscentis Atlantæum, vt ita dicam, pondus suis humeris, ac multò magis suis consilijs, imò verò suis precibus sustentaret. Verùm moritur intempestiuo tempore, illa perturbatione maximè ardente, Catharina Senensis. Quid agat Ecclesia? quò se vertat? quam anchoram capiat? quod oraculum adeat? quam Pharon adspiciat? tam præsenti, tam certo, tam potenti præsidio destituta? ô vim prouidentiæ singularem! Beata Catharina consenescente, Romæ ipsius loco B. Francisca ad eam curæ orbis terrarum partem puella nascitur, anno post schisma inchoatum sexto vix ineunte. Quo mihi verè videar esse dicturus ipsam bono Ecclesiæ datam, ipsam propriè Sedis Apostolicæ dulcem filiam, ipsam teterrimi monstri domitricem, ipsam superbi Amanis victricem, ipsam teterrimi Holophernis expugnatricem, quippe crudelissimæ post hominum memoriam seditionis conciliatricem fuisse, quo miraculo maius miraculum aut dici, aut scribi, aut cogitari nullum potest. Quo illi se & Romana ciuitas obligatissimam, & sancta Apostolica

ſedes deuinctiſſimam, & Chriſtiana Reſpublica obſtrictiſſimam in perpetuum, hac verò noua conſecratione vel procurata, vel decreta, vel celebrata, ſeſe exhibuiſſe illi gratam fateatur. Quam ego cum in cunis, hincinde turbulentiſſimo ſchiſmate obſtrepente, attentius intueor, videor mihi alterum Moſem infantem videre fiſcella ſcirpea vorticoſo flumini commiſſum, quo poſteà adulto, manúſque ad cœlum ſuſtollente, commiſſo prælio, acies Hebræa vincebat. In quo ne aliquid credar ex meo ſenſu vaticinari, tria ex illius vita iam Italicè ab alijs deſcripta, tametſi id acta non memorant, explorata habemus, quibus ad illam partem diuini conſilij recognoſcendam, ac redamandam adduci poſſimus. Primùm ſe illi aliquando in ſomnis obtulit matrona honeſta, admodum, & liberali ſpecie nobilis, quam immanes gigantes inſectati miſerè obſeſſam ad internecionem petebant: donec B. Franciſca ſpectaculo attonita in preces ardentiùs prouoluta matronam eam formidoloſa vexatione liberatam, víxque dum ex metu ſatis reſpirantem aſpexit: & erat ea vox, is vultus, ea tota maieſtas corporis, vt Catholicam Eccleſiam eſſe conſtaret; Gigantes verò illa generis humani potenta rebellantium transfugarum, qui cæca cupiditate in tráſuerſum acti ſacra, profanáque omnia promiſcuè habent, ſuperóſque more Titanum manu conſertum vocant: genus hominum inſolētiſſimum, & ludibriū naturæ deerrātis inſigne, res inanis tamē, ſed quæ Coloſſos Rhodienſes flatibus ſuis poſſit euertere: ac de

Ecclesia obtinuissent illi quidem, si Principes, & lectissimi quique rei Christianæ moderatores eorum laceris, distractísque velis velificari, aut eorum furiales Aquilones, & turbulentos turbines sequi voluissent. Præter hæc aliò viso Sanctos tutelares suos Paulum Apostolum, Benedictum Archimandritam, & Mariam Magdalenam, veluti præsentes aliquando habuit, quorum verbis exactè moneretur, vt diuinæ iræ auerruncandæ causa sese solito pressius in precationes daret, ne offensum numen iam amentatas illas suas hastas, illáque vltionis horrifica tela vrbi Romanæ intentata vibraret: quare cùm dicto audiens numini exorando acriùs instaret, intellexit aliò crispantia iam, iámque spicula fuisse à capitibus vrbis, orbísque deflexa. Denique inclinante tantumnon, & præcipitante schismate, porrò illi Deus per B. Apostolum Thomam sub ann. M.CCCC. XXXII. imperauit in somnijs, vt magistrum, quo ad confessiones de peccatis vtebatur ad Eugenium IV. Pont. Max. mitteret; eum moneret sese Basiliensi Concilio, quoad eius fieri posset, attẽperaret, ne nouis incendijs materies ministraretur; eam in rem in consultationem certos Doctores, Deíque famulos cum Cardinalibus adhiberet, quibus ad id omne negotium ventilandum vteretur: ità siquidem Deus humanitus agi imperat inter homines. Quòd Eugenius vti consultum à Beata fuerat abundè præstitit, plurimáque decreta turbulentę eius Synodi peculiari diplomate sancta esse, & rata voluit. Pertinet eòdem illi oblata altera Beati Benedicti

mirifica viſio, quo Franciſcam admonuit ipſam potiſſimum ad ſalutem animarum natam, ipſam datam, cōceſsámque, illo funeſtiſſimo tempore, humano generi fuiſſe, in eámque idcirco præcipuè curam incumbere oportere. Ex quibus omnibus, ne fidei Catholicæ momi hîc nobis obganniant, certam coniecturam accipimus, denſiſſimis illius calamitoſiſſimi ſeculi tenebris, ac procellis, clariſſimum illud ſidus obortum fuiſſe, ne ſuæ Iudithæ, ſuæ Heſter, ſuæúe Debboræ Chriſtianis ſeculis deſiderarentur. Ille enim ſapientiſſimus omniū moderator, qui infirma ſolet eligere, vt fortiſſima quæque confundat, ſe magis prĉſentem, ac ſi fas dicere, magis Deū exhibet, paruis auxilijs, plerunque, quā magnis: neque ſe magis, opinor, formidabilem prĉbuit cùm exercitu, quàm cùm arca Philiſtæos fudit; cùm Abimelec armata manu, quàm cùm immanem Goliath limpidis lapidibus infantili Dauidis funda vibratis proſtrauit; neque opinor cùm Elephantorum, equorúque ſuperbo apparatu varios populi Hebraici hoſtes, quàm cùm muſcarum, & locuſtarum, & ſciniphum plaga Pharaonem obſtinatiſſimum obſtupefecit. Planè in omnem partem ibi magis viget, vbi magis ſola Diuinitas, quàm vbi magis hominum ope ſociata graſſatur. Sed quarta illa tabella quarto illo ſpeculo reuerberata animum pridem ad ſe rapit, vbi inter floſculos variè, veluti in quodam elyſio, inter nutriculæ brachia volutata, lac ex vbere interim virginitatis inſigne preſſulis labiolis exſugit, itáque præcocis cuiuſdam pudicitiæ, noua, atque in pau-

IV. VIRGINITAS prodigioſa.

cis hactenus viſa argumenta ſuppeditat. Quid enim mirabilius, quid magis apud homines inauditum, quã B. Franciſcam, vt ita dicam, lallaturientem, cùm infans nutricis gremio primulum geſtaretur, nuſquam, vti alij ante me ſcripſerunt, ſe paſſam ab alio quoquam, niſi à parentibus vel leuiter contingi, aut attrectari; imò verò ne à parentibus quidem ipſis prius, quàm puerilibus faſcijs tecta, & decenter operta fuiſſet? ac ſi ſecus facerent, tum ſe puerili eiulatu, infantilibus digitulis, formicantibus, lachrymulis, & ſuſpiriolis tueri in contrarium ſolitam, à quibus nulla ſibi arte temperaret, donec conſuetis pannulis tegeretur? quod illi ipſi conteſtati ſunt, qui ex longa obſeruatione eius ætatulæ lactœlum pudorem fuerant toties in lactente puella mirati? Quod ſi ſanctiſſimi Myrenſis Epiſcopi Nicolai, quanta futura eſſet olim illius ſanctimonia, ipſis incunabilis oſtento fuit, quòd ſtatis diebus hebdomadæ ab exugendis nutricis vberibus abſtineret; quãtam puellæ Franciſcæ futuram impoſterum caſtimoniam auguremur, quàm illi adeo cordi fuiſſe, antequam noſſet, obſtupeſcimus? Proxima ab quarta capedine ſeſe ſumma venuſtate viſenda figura objicit, domeſtica à parentibus hauſta cum lacte inſtitutio, ſic vt eius æqualibus ad varia ludorum, vt in illa ætate, ſtudiola laſciuientibus, illa manibus preculas horarias deuoluat. Videres infantem vt in autenticis illius actis legimus, ab Ephebis iam principio infantioris ætatulæ, ea iam factitare, quæ maturioris ſanctitatis indicia redolerent: hinc inde pias orationes congerere,

V. INDOLES PVERILIS *& educatiõ admirabilis.*

quas statis horis Deo, superisque persolueret; litteris eis maximè capi, quæ diuina tractarent, alias leuiter quasi ex Nilo attingere; cum matre, cum ancillis, cum alijs domesticis seruitijs per quàm libenter diù, noctúque de rebus pijs verba conferre; furtim eleemosinas egenis adspergere, non familiæ splendore, non claritate generis, non affinium consuetudine, non alijs studijs, quæ illam ætatem tenere solent, oblectari, sed Deo, sed solitudine, quam etiam in tumultu domestico reperiebat; sed frequentatione sacrorum, sed precibus, inedijs, asperitatibus vitæ strictioris, quibus sine exemplo tenerum, delicatúmque corpusculum obterebat. Nō iam infantem Herculem nescio quem in solitudine apud Xenophontem in Pædia Cyri virtutis edentulæ, vetúlæque monita amplexantem, aut Dauidulum in agrestibus syluis, vrsis, ac leonibus colla frangentem, sed Baptistam in Heremo veluti vagientem videre te diceres, *Xenoph. Cyriped.*

Nunquid immunis fuit
Infantis ætas? monstra superauit prius
Quàm nosse posset, illa quæ contrà obuia
Reptauit infans: igneos serpentium
Oculos remisso pectore, ac placido intuens
Arctos serenis vultibus nodos tulit,
Et tumida tenera guttura elidens manu
Præclusit Hydræ.

Senec. Herc. Oet.

Vix vndecennium ætatis attigerat, quando velut in ludo puerili constituerat secedere à turbis, & solitudinem quærere, saltē se, vbi vbi in promptu esset, Deo, *Acta publica.*

arctiùs ſeorſim à ſtrepitu hominum voto perpetuæ caſtitatis obſtringere, niſi & parentibus aliud viſum, & numini aliud occultiore quadam mente prouiſum fuiſſet, vt nouum exemplar eo clariùs, quo rarius in nuptarum genere ederetur. Porrò hoc robore animi iam tum, atque hac indole virtutis, & continentiæ fuit, vt reſpueret omnes voluptates corporis; quam non quies, non remiſſio, non æqualium ſtudia, non ludi, non conuiuia delectarent; quæ nihil in vita expetēdum putaret, niſi quod eſſet cum grauitate, cum pietate, cum modeſtia, cum ſeueritate coniunctum: deliciæ autem illæ pueriles, quæ maturè cum tempore deflorеſcunt, nunquam occupatam eam, impeditáque tenuerunt: nulla luxuries in moribus, nulla immoderatio in vita, nulla cupiditas in ſtudijs, nulla libido in conſuetudine, nulla mollities in habitu, nulla leuitas in inceſſu, nulla corruptio in diſciplina, nulla varietas, aut inconſtantia in illa ætatula apparebat. Angelus potiùs in corpore humano, quàm puella inter homines videbatur. Audacter dicam, ſed verè tamen, Angelos ex ſuis ſupremis orbibus reuellebat, vt ex ſimilitude ingenij iam cuperent cum illa inter mortales aſſiduè, & familiariter diuerſari. Sexta exinde figura exiſtit conuictum cum puriſſimis illis cælorum accolis ea ratione complexa, vt adiunctus ad latus vbique Franciſcam ſtipator, & aſſecla Angelus proſequatur. Semel eius generis dicemus omnia, ne ſubciſiuis fruſtulis res magnas frequenter abrumpere cogamur. Ioannem Baptiſtam hîc operis parergo adpictum

VI. ANGELI TVTELARIS cōuictus, & familiaritas.

adpictũ Nicephorus tradit in horrifera Heremo iam inde propemodum à cunis Elizabetha parente demortua, ab Angelis in maternæ curæ partem ſuccedentibus nutritum, educatum, eductum fuiſſe. Beata Franciſca hoc amplius, perpetuum veluti honorariũ aſſeclam humana figura ſpectabilem ſemper habuit, vſque ad extremum vitæ ſpiritum, cuius monitis, nutibus, & tota pluſquam familiari ſolicitudine regebatur. Tametſi enim autentica acta potiſſimum dicunt de prouectiori ætate, primùm inito matrimonio, deinde marito vita perfuncto, cuſtodem illi Angelum ſpectabili forma fuiſſe conceſſum: tamen huc de eo argumento omnia congeremus, cùm vitam Angelorum æmulam ageret: ita ſiquidem Chriſtus ne de paruulis hæreremus effecit, cùm ore ſacroſancto diſcipulos monuit, ne cõtemnerent quemquã ex paruulis, *quòd Angeli eorum in cœlis ſemper viderent faciem Patris eius, qui in cœlis eſt.* Math. 18. Ioannes Matthiottus (nam acta publica nec tam multa, nec tam ſingularia complectuntur) ciuis Romanus, cui B. Franciſca annos circà vndecim, confeſſiones audienti operam dederat, teſtis oculatus, & grauis ſcriptum poſteris commendauit Archangelum illi non propugnatorem ſolum, atque cuſtodem, aduerſus quotidianas tenebricoſorum ſpirituum incurſiones arcendas; verùm ad totius ætatis ſingulas moderandas, dirigendáſque rationes conceſſum fuiſſe, à quo ne perleui quidem momento deſereretur. In quo mihi videtur diuina benignitas ad amorem noſtrum magis tanto benefi-

cio inflammandum, voluisse hominum sensibus semel obijcere, quæ cæteri ductores spiritus in singulorum tutela mortalium, quibus præsunt, quotidie occultis obsequijs exequuntur. Qui non minus idcirco beati sunt, aut magis negotiosi, & occupati, quàm si soli Deo fruendo se sisterent. nam si cælestes intelligentiæ rotandis continuò immensis illis cælestium globorum orbibus affixæ non minus, vel ipsius Aristotelis sententia beatæ censendæ sunt: si, vt certiora consectemur, & quæ nihil dubitationis afferunt, nihilominus Beata extitit Christi patientis anima vel rebus humanis intenta, vel ligno suffixa, vel ad subterraneos Limborum specus profecta, quam hodie est ad Patris æterni dexteram collocata; si Raphaël Angelus haud quaquam à fœlicitate decidit, quam semel adeptus amittere non potuit, ex cura illa tam singulari, támque diuturna Tobiæ suscepta; si reliqui spiritus ad Mosem, ad Abramum, ad Prophetas cæteros passim missi nullā firmatæ beatitudinis decessionē patiebantur (nam ne sic quidem, ex Philosophi sententia, essent beati) si ad hæc Deus vbique præsens, vbique beatitudinem ostentare, vbique sese offerre, etiam Latroni in cruce pendenti potest; si ad extremum ipse Stephanus protomartyr etiam istius grauissimi corporis vinculis, & carcere occlusus, Christum tamen in cælis à dextris virtutis Dei, inter saxorum grandines, horrendáque lapidationis sanguinariæ crepitacula ex corpore adspexit, quid oblatrabunt isti ex luto, atque argilla ficti homines, qui diuina omnia sui circularis in-

Arist. de cælo.

genij plebeia regula metiuntur? qui audiant vnum ex Archangelorum numero numquam à Beatæ latere discessisse, cuius studia omnia dirigeret, vota, voluntatésque componeret, dicta, facta, cogitata omnia moderaretur? Ingrati! sacrilegi! qui qua se causa benefico numini gratos præbere deberent, ea insolescere, ac sese impudenter efferre non reformidant? Ergo illi aderat perpetuus comes Archangelus summè venustus, & tota specie pulcherrimus, candore, qui niuem excederet, oculis ad cælum semper obuersis, brachijs circa pect⁹, crucis figura, decussatis, cincinnis veluti auro crispantibus, tunica ad talos à ceruice protensa collum tegebat, candida vulgò, quandoque cærulea, rubra nonnunquam illi inerat. Tantus è vultu splendor emicabat, vt ægrè Francisca fulgorem oculis ferre posset: quin eo scintillabat interdum, vt nocte intempesta, haud alia face vel diuinas preces ex libro decurreret, vel cubiculi omnes angulos rimaretur, vel alia id genus domestica munia exerceret. Iussa aliquãdo à suo præposito edicere qua statura, aut qua forma esset, illa in Archangelum directo obtutu defixa, eiúsque brachiolum circumplexa, manu ad verticem instar blandientis allata, adeo commodè designabat, vt pater figuram aptè discerneret, quæ puerilem non excederet. Iam quando Beato Thoma Theologiæ Principe, & nostro Dionysio Areopagita, aliísque scribentibus, Angeli hominibus diuino munere donati sunt, vel ad propugnandum contra cacodæmones, vel ad collustrandum in dubijs, vel ad expurgan-

dum à vetitis, vel ad recreandum in aduersis: si Tartarei illi lemures illam, quod sæpe, multúmque faciebât, aut impunè pulsarent, aut inani horrore terrerent, aut captiosè in meliorem spiritū transformati in fraudem adducerent, momento Archangelus, aurea coma leuiter ventilata, concussáque, gratam quandam lucem euibrabat qua Franciscæ animus mirè firmatus recreabatur. Sin frequenti consanguineorum, aut amicorum concursu, qui tum officij, tum spiritualis quęstus causa ad illam confluebant, aliquid illi, vt in ista præfragili contagione, aut facto, aut dicto, aut cogitato minus compositè excidisset, vel se illa in curas domesticas superuacaneo studio profudisset, sese ille admonitor spiritus tutelaris ab illius oculis summouebat, ex quo illa in se reflexa, interioris conscientiæ latebris exactè discussis, in cuiuscúnque leuissimi lapsus cognitionem veniebat, tum solertior facta, errorísque pœnitens futuræ cautionis emendatione proposita dulcissimi monitoris aspectum recuperabat, quo cum interim dum se illi redderet, gemens opinor, dolénsquè

Cant. 2. ita ex animo sermocinabatur. *Similis est dilectus meus capreæ, hinnulóque ceruorum, en ipse stat post parietem nostrum, respiciens per fenestras, respiciens per cancellos. Reuertere: similis esto dilecte mi, capreæ, hinnulóque ceruorum super montes Bether.* Quamobrē abstractissimus ille Dorotheus monebat magnā custodi cuiúsque nostrum Angelo exhiberi reuerentiam oportere, ne extemplo fugatus aufugeret: quare cùm quieti nos damus, modestè, sobriè, & consideratè agendum, ne indecenti

aliqua turpitudine, Angelus qui nobis inuigilat, indignatus è nostro sese comitatu proripere cogeretur. Ex eodem manabat, quòd si quisquam grauius, præsente spiritu, laberetur, ille sibi manibus oculos obnubebat, quo admissæ culpæ conceptũ horrorem testaretur. Beatæ Franciscæ pro pædagogo datum putares, qui labentem erigeret, perplexam instrueret, errantem moneret: nam & sanctos Patres video passim ita sensisse, cuique nostrum in hoc lubrico, & ancipiti deuiæ mortalitatis exilio, instar ductoris, atque magistri datum monitorem Angelum; hominem námque habere instar infantis, quamdiu hîc moretur, qui eo diuino magisterio maximoperè indigeret. Quid illos carnifices implicatioris conscientiæ stimulos, quos scrupulos vocamus, quàm ille scitè admonitor spiritus retundebat? quàm reuellebat, extirpabátque radicitus? quibus cùm illa aliquando orationi ardentiùs intenta fodicaretur, illam exporrecta, & serena fronte intuitus ita placauit, vt deinceps in perpetuum, inanissimam illam mentis vlceratæ scabiem persanaret; postquam perdocuisset ista friuola esse obstrepentium Cacodæmonum terricula, & machinamenta minimi ponderis, quæ eludendo potius dispuluerata, quàm contrà nitendo depulsa frangantur. Ac iucunditatem conuictus familiaris, socialísque consuetudinis, quantam, quam solidam, quàm sinceram, ac puram Deus immortalis! afferebat: seu cum Beata familiariter colloqueretur, tanta cælestis illam alloquij, támque sincera dulcedine perfundebat, vt harmonicos concen-

tus humanos omnes, præ illo ſuaui ſuſurro inconcinnos, ingratóſque duceret: ſeu in cæleſtium rerum meditationem ſe traderet, tum verò ea tum ſcienter, tum accommodatè, tum efficaciter de ſingulis virtutibus, de pudicitia, ac de innocentia ſpeciatim, aliiſque, quas magis in Angelica natura regnare proſpiçeret, diſſerebat, vt ſuum illum Doctorem dictantem proſequi, atque ex eius ore concepta proferre liquidò appareret. Magna ſunt quæ dixi, & quæ captum humanum ſuperent; maiora, quæ dicam impoſterum ſi non illo rebellantium cenſorum ſupercilio, ſed ſanctioris ingenij Chriſtiano candore ponderentur. Nam quamdiu nupta thoro deſeruijt, hunc, quem modo dicebam, comitem Angelum ſemper obtinuit; poſtquàm verò marito orbata ſe arctioris vitæ religione colligauit, alter illi ex quarto Hierarchico ordine, haud paulò ſublimioris gradus, illo priore permutato, fuit conceſſus. Quemadmodum enim apud Ariſtotelem illæ cęlorum agitatrices intelligentiæ eo nobiliores exiſtant neceſſe eſt, quo propius ad ſupremam illam ſphæram, vbi Deorũ domicilium ſuperſtitioſus Philoſophus collocatum putabat, accederent, quòd nobiliora, & maiora corpora circunferrent, haud ſecus planè philoſophandum eſt de hominibus, vt qui Pontificalis, qui Imperialis, qui Regiæ, qui Principalis, qui alterius excellentiæ dignitate, vel vitæ perfectioris, ſanctioríſque præſtantia cæteris antecellant, è ſuperiori quadam cæleſti centuria, tutelares Archangelos nanciſcātur. Quos idcircò diuinus Apoſtolus quoſdam thro-

Ariſt. de cælo.

nos pro pontificibus, alios principatus pro principibus, alios poteſtates pro magiſtratibus, nonnullos virtutes pro virtute præſtantibus, tum alijs ex cauſis, tum ex tutelæ peculiaris officio, vti ego quidem exiſtimo, nuncupauit. Iſte alter nobilior Angelus veluti ſuperior, extrema, ac viſibili ſpecie, ſed multo elegantiori forma præditus, non capillorum vibratione illa ſenſili, aut ſcintillantium oculorum indicio, verùm arcana vi quadam, ac propria, quam innatam, atque in ſeſe penitus inſitam circumferebat, Tenebricolas Genios auertebat, arcebátque: cultu etiam, ornatúque haud paulò aliò viſebatur. Dextera triplicem palmæ ramum aureum gerebat, quibus terni glomi appenſi non illis abſimiles, quos bombyces conglobato ſerico obuoluunt, vnde ducta ſtamina Angelus, & collo implexa velut in globum adglomerabat, id quod continuò faciebat, ad annum vſque M. CCCC. XXXIX. ad XVIII. Kal. Sep. quando ſe dixit triplicem Franciſcæ telam contexere impoſterum penſi habere; vnam centeno, alteram quinquageno, tertiam triceno ſub tegmine textilem, quo Euangelici ſeminis tergeminam fœcunditatem, triplici perfectioris vitæ prouentu, in Beata Franciſca, virgine, nupta, vidua, exprimebat. Quod enim de paucis vſquam legimus, omnia triplicis eius ſtatus ad ſummum apicem prouecta exempla in vna Beata Franciſca tenemus: ſic vt in thoro pudico tricenus, in viduitate quinquagenus, in virginitate præſertim Religioſo cumulo abſoluta centenus fructus, culmis velut herbeſcens geniculatis, pullularit.

Verùm dum cæleſtis genius iſtis ordiendis multiplicium telarum ſtaminibus occupabatur, feles circum obgannire, canes allatrare, monſtra negotium filorum abrumpere, turbare, ſæuire, miſcere omnia; ne neſciremus quæ, quantæve ſubeundæ ſint Angelo, cum teterrimis Tartarorum indigenis manibus, contentiones. Quin etiam ſicubi correptioni ſociali, vt inter Religioſos vſu receptum eſt, Franciſca magiſtra operam daret, quod incredibili charitate, & manſuetudine, faciebat, vel priuatim cui vſus eſſet, remotis arbitris, vel vniuersè omnibus ſimul adſtantibus, vel propriè ſibi, quando veſperi quotidie, de more, ipſa defectus proclamabat ſuos, tunc ab ordiendi opere cuſtos feriatus ſummè ad ea, quæ fiebant attentus tenebatur, nec vulgarem ſe ex ea ſpecie voluptatē haurire, tota compoſitione, & hilaritate vultus teſtabatur. Aliàs ſtato officio recitando diſtenta ad verticem Angeli velut excelſam columnam nouo quodam fulgore ſplēdentem videbat, quę cęlum ipſum altera extremitate contingeret, quo viſu, vltra quàm credi poteſt, exhilarata tota ad diuinæ bonitatis encomia, oculis iucundiſſimo adſpectu in cælum iniectis, rapiebatur. Denique illi officioſiſſimus ſpiritus pro nitidiſſimo ſpeculo aderat, in quo haud paulò perfectius, ſinceriúſque, quàm in illo altero, tū præſentia, quæ latebant, tum futura longinqua cernebat, quæ benigniſſimus illi Deus indicabat, tam ſuo proprio commodo, quàm aliorum ſpectato compendio, quorum ſæpenumero reconditiſſima ſenſa, in illo inexplicabili

lumine

lumine intuebatur. Vnum perfectæ voluptati officiebat, quòd tanto lumine veluti fulgurabat, vt nec diu, nec satis, prout cupido erat, in eo occupatum obtutum tenere posset: vnde nocte nescio qua, imbecillis voluptate sensus præfulgido sideri obluctante, cùm illum obniteretur attentiùs, acriúsque solito speculari, tantum ex eo est repente, cum grauissimo cruciatu, in oculis cō citatum incendium, vt nullo artificio pupillam refrigerare, nec quietis vllam partem capere potuerit, perinde atque obuersa palpebra, obstinato contuitu claram, ac plenam meridiani Solis incensam facem sustinuisset. Ecce vnde factum putetur, vt quamprimum illa excessit è viuis, illius imagines, cuiusmodi passim Romæ reperiuntur antiquæ, recentésque, cum Angelo assecla deinceps depingi cœptæ fuerint, libello ad manum Sanctæ adposito cum illa diuini Psaltæ modulatione, *Tenuisti manum dexteram meam, & in voluntate tua deduxisti me, & cum gloria suscepisti me.* Psalm. 72. Angeli quippe custodia se sustentatam intelligit. Et ecce, inquam, Angelicæ, virginalísque verecundiæ quasi centeno filo telam obtextam, centuplici fœnore remunerandam puritatem: ecce solennis pyræ priorem ex tribus congeriem primore Franciscæ ætate extructam. Ecce ad extremum vnde puellę virgines, quot illis necessaria esse possunt, in virginitate seruanda documenta colligant. Primum vt honestati maturè, à primoribus annis, quàm seuerissimè assuescant, vt quæ vel leuiter licentiam immoderatam sapiunt magis penitus ignorare, natali

indole quadam, quàm expugnare cum tanto periculo cogantur. Alterum vt licita etiam fugiant, constantérque exhorreant, ne paulatim natiuo pondere ad illa prohibita prolabantur; familiaritates, quantum honestè potest, omnes euitent; illa verò clara incentiua libidinũ, ex familiaritate colloquia, ex colloquijs officia, ex officijs tentamenta paulò magis, quàm grassantem pestem auersentur, primóque in aditu hosti resistant. Deinde non modo pudorem in pectore infixum, sed testatum, & clarum in specie circunferant; nemo siquidem castam putet, quā plerique appetunt, perindéque in virgine, amari, atque amare putandum est. Super hæc, vt non nisi necessitate cum hominibus, ita familiaritate domestica cum Angelis conuersentur; æmulatio sit vt vitæ suæ formam ad rationem Angelicam conformēt, nihil, nisi Angelorum vel instinctu, vel comparatione aggrediantur: habet virginitas quo sese illi purissimæ naturæ conferat, fortasse etiam quod anteponat. Ad extremum quo ad pudicitiam cōseruandā nihil excogitari potest præsentius, si insectator Dęmon infestis titillationibus, si ancipiti perturbatione fluctuantis conscientiæ, si molesta vlla vexatione mentem, aut corpus obsederit, tum tutelarem spiritum veluti præsentem, & propugnantem, & Dæmonibus obluctantem, & generosæ mentis conatibus gestientem, & rebus ex aduerso indecoris se obuelantem, velutíque fœdis factis erubescentem intueantur; ad illud se speculum attendant, in eo se lumine adspectent, ea vna regula totius vitæ rationes

exactè, & examussim metiantur: non cibum, non somnum, non forum, non torum, non templum, nisi illo ductore, & comite petant, illius à magno Bernardo Clareuallensi pręclarè dicti semper memores, quouis loco, quouis angulo, quouis opere, quouis tempore honorem familiari Angelo esse maximum deferendum, quem non ideo non pręsentem haberemus, quòd se hisce oculis spectandum non præberet: experta loquor, norunt, qui ista curant, sentiunt ad pudorem illibatum custodiendum, operæ, atque artis pretium esse, se vbique comitanti, prospectantíque Angelo præsentem, & spectabilem, certa, perpetuáque æstimatione sentire. *D. Bern. In psalm. Qui habitat.*

Altera contignatio coniugatis exurget mulieribus, senis ad latera figuris miraculo quodam artis opticæ per totidem specula prominentibus. Lignum ex malis omnium generum Sydonijs, aureis, Punicis, cæterísque fructiferis dedolatum, tornatúmque, nisi quod columnæ opere Ionico molliori, sed tamen solido, & erecto plenis vuarum pendentium pampinis adrepentibus veluti implexæ, conuolutæque, quod vitium ingenium est, maritantur. Ægyptia symbola stylobatis ornamento addita; canistri delicatioribus fructibus, Baccis, Amygdalis, Fragis, vuis præsertim, variato colore regnātibus, grata ad intuendum varietate onerati: alijs Cinnamomum, nuces Indicæ, thuris, piperísque arbusculæ depinguntur: eucarpi mira iucunditate visendi, mala Punica, granorum arcta societate sese rimulis ostentante, mala aurea primum STATVS CONIVGALIS. *Sex alia Specula.*

odorem extrà ſpirantia; citrea odore ſimul,& colore, & ſapore felicia; poma caſtis amoribus non aliena, illa
Cant. 7. inſcriptione, SVB ARBORE MALO SVSCITAVIT E. Ficus rugoſo habitu, trunco vim dulcedinis præcipuam cælantes complectantur pampinis frondentibus lemniſcati, ad Draconum roſtra nodati ex Burgheſiorum ni fallor illuſtribus inſignibus accerſita; nam etiam Draconem vigilem hortis Heſperidum, vbi mala aurea ſeruabantur, datum cuſtodem accepimus. Intercolumniorum bini ſimulacrorum loculamentis iniecti ordines, ſuperiores quidem ſex illa ſacrarum coniugum exempla proponunt, quę in B. Franciſca connexa videmus, Abigail viro opportuniſſimam, Rachel ſanctiſſima prole fœcundam, Ruth familiaris rei prouidentiſſimam, Heſter populi ſui vnicè ſtudioſam, Suſannam coniugalis præſertim pudoris cultricem egregiam; Annam Samuelis matrem rebus diuinis aſſiduè occupatam. Inferioribus conceptaculis ad ruborem noſtris mulieribus inijciēdum, ſex item matronæ ex media profana hiſtoria celeberrimæ continentur. Lucretia Collatini vxor fidei Genialis ſpecimen præclarum, Iulia Scipionis coniugis amantiſſima, Cornelia Gracchorum & genitrix, & laudatiſſima educatrix, Penelope ſapientis Vlyſſis ipſa ſapientior æmulatrix, Alceſte ſui Admeti aduerſorum caſuum ſocia vſque ad mortem oppetendam inſeparabilis, & illa imprimis alia Pythij Regis Celænarum vxor cordatiſſima viri vaniſſimorum ſpirituum emēdatrix. Sex lateribus, operæ pretio, ſex nuptialis ſtatus

veluti Christianæ leges, B. Franciscæ mirandis facinoribus sanciuntur: tot enim, mea quidem sententia, Christianis mulieribus esse documenta debebunt, quæ fœminam illam fortem nobis procul, atque ex vltimis finibus adducere videndam, admirandámque statuerint, quam nos ex maximi Apostoli sententia, quasi coloribus depictam suis exprimere possumus. 1. *Mulieres viris suis subditæ sint, sicut domino, quoniam vir caput est mulieris.* 2. *saluabitur autem per filiorum generationem.* 3. *si quis autem suorum, & maximè domesticorum curam non habet, fidem negauit, & est infideli deterior.* 4. *mulieres similiter pudicas, non detrahentes, sobrias, fideles in omnibus.* 5. *similiter & mulieres in habitu ornato, cum verecundia, & sobrietate ornantes se, & non in tortis crinibus, aut auro, aut margaritis, vel veste pretiosa.* 6. *sed quod decet mulieres promittentes pietatem per opera bona.* Quæ enim matrona exactè nouerit, mordicúsque tenuerit, quid marito, quid liberis, quid familiæ vniuersæ, quid exteris, atque viciniæ, quid sibi ipsi, quid superis debeatur, ea perfectæ, sanctęque matris familias, numeros ex sapientũ omnium, sanctorúmque sententia expleuerit. Hęc illa sunt ipsa, quæ totidẽ tabellis hoc loco graphicè colorantur. Atque Corona inscriptionẽ rei præfert illam, nisi me amo consentaneam, STIPATE ME MALIS QVIA AMORE LANGVEO. LÆVA EIVS SVB CAPITE MEO, ET DEXTERA ILLIVS AMPLEXABITVR ME. Primum vxoris officium, seu τὸ καθῆκον, quod maritum attingit, primo illo, quod primum occurrit, agalmate figuratur. Nam

Ephes 5. 1. Tim. 2. 1. Tim. 5. 1. Tim. 3. 1. Tim. 2. Ibid.

I. VXORIS ERGA MARITVM *obseruantia.*

postquàm puella nostra mirabilis frustra solitudinem, vitámque cælibem aggredi conata, non vlla sua voluntate, multò minus voluptate adducta, sed mera, eáque satis violenta parentum iussione, & importunitate coacta Pontiano Laurentio nobili Romano, atque opulento nupsisset, seséque in eius manum, ac familiam ad regionem Transtybetinam dedisset, nihil antiquius habuit, quàm vt excellentes illas animi generosi virtutes marito præstaret, quæ primæ in vxore laudantur: obedientiam summa obseruantia copulatam, amorem, & fidem inaccessæ, & impenetrabilis castitatis: ex quibus pax illa nascitur, sine qua nuptiæ non tam imbecillitatis humanæ solatia, quàm diuturnæ carnificinæ cruciamenta videantur. Constat totis quadraginta annis, quibus vna vixerunt, ne minima quidem dissentiuncula, aut leuissimo iurgio sacrum connubij fœdus aut violatum, aut vnquam interruptum fuisse. mirum, & in hac calamitosa vita perrarum, vbi cum imperfectis viuere cogimur, vbi tanta offensionum senticeta non aliunde, quàm ex istius mortalitatis misera conditione pullulant: atque id illa etiam ijs artibus, quæ solæ id possunt, consequebatur. Primùm, minimum quémque discordię fomitem principio præfocabat: dein ita cupiditates suas cum mariti studijs, rationem cum eius sensu; desideria cum illius voluntate coniunxerat, vt inde nec transuersum quidem pilum, quod aiunt, vllo prætextu, vllaúe occasione discederet; ex quo assequebatur vt omnia vicissim maritus vellet, quæ ipsam cupere intelligeret: rur-

fúmque, certamine quodam mutuæ obferuantiæ fufcepto, ipfa feu orationi, feu alijs pietatis obfequijs ftuderet, accita à viro, neque à viro folùm, fed à quocunque domeftico pro familia accuranda, re inchoata, infectáque, confeftim furgeret, obfequutura. In quo quantum Diuinæ maieftati placuerit, nouo prodigio tum demonftratum eft, cùm inter exoluendum quotidianum magnæ matris officium, calidiffimè interpellata aliquando, quatérque eundem verficulum coacta abrúpere, poftea obfequio illo ritè perfuncta, aureis characteribus defcriptũ inuenit; quod cognata vannotia prudẽtiffima, & fanctiffima fœmina, cùm vulgares antè characteres legiffet, fe deprehendiffe iurata poftea, Apoftolus verò Paulus id opera Angeli familiaris fuiffe factum B. Francifcæ per vifum affirmauit. Ita Deus opt. max. Matronalem obedientiam fuo cultui prætuliffe, & diuino teftimonio cõfecraffe videtur, vt fciolorum quorũdam inconfiderata ingenia caftigaret, qui falfa fanctimoniæ gloriola aucupanda, ita vanis vxores folent religionibus circũuenire, vt fprera mariti, & familiæ cura, dies, noctéfque fuis voluntatibus explendis abfumant, vnde adeo obduratæ, exficcátęque fuo fenfu euadant, nihil vt rectum, nifi fuo iudicio æftiment, viris fe refractarias, atque infrœnatas præbeant; familias mifceant; rem perdant; nuptias profanent; pacem perturbent; pietatem, quod caput eft, apud maritos in odium, & contemptum trahant. Quid dicam de caftitate ad eam perfectionem, thalami inter naturales illecebras, ob-

ſeruata, vt nihil illi aliud thorum genialem fuiſſe, quá perpetuam adumbrati martyrij, & miraculorum officinam verè videar eſſe dicturus? Nam liberis operam datura præterquàm aſſiduè auulſa à ſenſibus, & toto ſtupore corporis, ac mentis abſtracta, ad illas interiores animi delicias efferebatur: id etiam artis, & inauditi hactenus ingenij conferebat, vt præter continuũ dolorẽ, eúmque intolerabilem, quem ex ſanctæ mentis inſtituto, & aliunde patiebatur, interim, quo penitus naturale membrorum incentiuum opprimeret, alijs corporis partibus varios cruciatus, vel nouitate inuſitatos, vel grauitate impatibiles, teſte Volaterrano ſcriptore ſatis claro admoueret; quouſque Laurentius facti, conſiliique conſcius acerbam vxoris lanienam miſeratus, tandem aliquot ante obitum annis, cum illa pactus eſt cælibem vitam vti ambo traducerent. En quàm arguta, quàm ingenioſa, & ſagax religio ad caſtitatẽ, etiam in matrimonij ſacra licentia retinendam. Beata Delphina ſancti Alziarij Comitis Sabranenſis Principis celeberrimi è Prouincia Narbonenſi vxor, cùm ſe præter voluntatem, iuſſu Roberti Siciliæ, ac Neapolis Regis, Prouinciæ comitis, cui vtérque erat conſanguinitate coniunctus, viro tametſi ſanctiſſimo addictam ægerrimè ferret, eáque de cauſa Curiæ Regis põpas inuita ſubire cogeretur, ad Choreas vt fit, inuitata delicatiſſimum corpuſculum, aſpero cilicio ſub pretioſa veſte celato, inter ſaltandum in tripudio cruciabat; lapillos aculeatos clam calceolis nudæ plantę ſubſtratis ingerebat, vt illis veluti ſtimulis

Volaterr. li. 22. fruſtum carnis porcina ardens ſub pectore adhibebat, aut ſe toto corpore pice oblinebat.

mulis choreę vanitatem pręsenti supplicio castigaret: atque quod omnem admirabilitatem superat, cū marito ita viuebat, vt eo prima, nuptiarum nocte, sese virginitatis in perpetuum voto concepto, consecrante, quod illa multò iam ante præstiterat, ambo deinceps nemine mortalium conscio, cælibes eodem in thoro, plusquam duodeviginti annos vsque ad vitæ extremum diem perdurarint: quæ omnia in B. Alziarij cōsecrati diplomate Pontificio autenticè perscripta reperiuntur. Quis verò Principem puellam Delphinam omni magnifico vestium apparatu nitentem exteriùs, ita se vlcisci interiùs iudicaret? quis pietatem in nugis, modestiam in luxu, frugalitem in delicijs, paupertatem in auro, vexationem in purpura, asperitatem in serico, abiectionem in gloria, religionem in chorea, virginitatem in thalamo, constantiam in puella, heremum in curia, adeo cum diuina ope non defuturam suspicaretur? non sunt facta Sanctorum humano iudicio, sed diuino calculo ponderanda. Equidem in matrimonio, audeo dicere, B. Franciscam cælibem animum penitus habuisse, quod ego maximum prodigium duco, solo corpore, ad præmium perfectissimæ obedientiæ, coniugij legibus, atque obsequijs derelicto. Virorū adspectu, perinde, ac puella virgo non turbabatur solùm, verùm etiam incredibiliter afflictabatur: eos imprimis vt piacula auersabatur, quos inhonestæ Veneris labe fœdatos præsentisceret, quorum intuitu magis, quàm aliorum offendebatur: quoties id sceleris vel nominari verbo tenus

audiret, toties illi pectus, atque viscera horrore nescio quò cõuulsa subuertebātur. Idē sentiebat, sufferebátque quoties per inominatás, & mulierculis prostituti pudoris vulgares vias necessarium illi iter esset, ad quas tamē cum illo cruciatu, omni ope, atque remedio, ex eo cœno eripiendas, ingenti caritatis studio, se deprimebat. Aliquando trans Tyberim proximè ad Hebræorum aream, cùm iter necessariò ageret, quodam in tugurio, aliquot cacodæmones tripudiantes, bacchantésque aspexit, ex quo viciniam sciscitata, num sceleris quippiam eo loci proximè patratum fuisset, par ibi nobilium scortorum, magna lenonum, atque perditorum, hominum frequentia, venale, & clarum degere accepit: nec cunctata ampliùs ædiū conductitiarum dominum ipsa conuenit; monuit non ferendum esse execratum emporium, turpémque eum quæstum in eius domo, cum tanta numinis iniuria, exerceri. facile persuasit. ille, expulso scelere, simul suas ædes meretricia, tartareáque frequentia expiauit. Hinc maiori rabie in illam succensus Diabolus, indignissimè passus se subinde eiusmodi ereptis ex faucibus prædis, à Beata Francisca fatigari; crepare, fremere, furere ardentiùs; illi vt tædium, vel desperationem afferret, sese passim cum furiali comitatu offerre, iam mascula, iam muliebri specie, lasciua, atque Sotadica gesticulationum infamium repræsentatione detestabilem; quæ illa constanti, ac virili animo, minimo momento disiecta omnia ludificabatur. Inde non multo interuallo, Beatæ mulieri, ad D. Ioannis Lateranensis

cum vannotia proficiſcenti nequiſſimus ille, ac ſpurciſſimus omnium libidinum,ac ſcelerum prægustator ſe obuium ad ſacram SS. Petri,& Marcellini ædem dederat, dum illa tantiſper an ex grauiditate (nam vterum ferebat) an ex laſſitudine ſubſidere Paulum coacta infandum inſidiatorem honorari, & elegantis ſenis figura laruatum conſpicata, atque ab eo ad ſcelus nefariè prouocata è veſtigio ſceleſtum lenonem orationis præſenti, vulgaríque ſubſidio, ad fugam impulit. Quo ille dedecore miſerè eluſus, & fractus, nocte proximè conſequenti, cadauer hominis intolerabili fœtore peſtilentiſſimum in eius cubiculum intulit, in quo diù, multúmque volutatam vſque adeo purulenta ea mephiti infecit, vt deinceps lethalis ille odor per omnes corporis partes latè diffuſus, maximè in interiore phantaſia ſemper inhæſerit, ſic vt contracta perpetua ſtomachi infirmitate,ferè perpetuò nauſeabunda cibos omnis generis faſtidiret,egereretque: eóque ex tempore omnium virorum, adeóque mariti appropinquatione ſpurcam illam graueolentiam perſentiret, imò illi omnia corporis membra, quoties facti illius in mentem veniret, horreſcerent. Dicat aliquis, hæc ſi ita ſunt,vbi illa vxoria erga maritum ex documento Apoſtoli amicitia, maximè in tanta nuptialis obſequij auerſione? Dixi equidem modò, illam nihil in eo genere præter obedientiam,niſi cum ingenti cruciatu attuliſſe, in quo quantum viro tribueret,quãtum voluntati diuinæ afferret oſtendebat, quæ tanto incommodo obſequeretur. De cætero illi nec poſſi-

bilem ſanctis, nec neceſſariam inanis vanitatis imponunt neceſſitatem, qui illos humanorum affectuum expertes, atque ἀπαθεῖς, vt Stoicè dicam, eſſe volunt, à quibus ne Chriſtum quidem penitus abhorruiſſe, fide tenemus, cùm vel amicum Lazarum comploraret, vel Ioannem, præ cæteris carum, ac tenerum haberet. Inueniemus in B. Franciſca quod omnibus fœminis imitandum amoris vxorij exemplum proponamus. Nam ſi penè ſacrilegum, ſaltem Deo valdè inuiſum, & matrimonij ſacramento iniurioſum cenſendum eſt, non inter ſe coniuges ea quàm arctiſſima, quæ inter homines poteſt, neceſſitudine eſſe coniunctos, cùm ea ſacrorum Chriſtianorum parte, illa infinita charitas, qua
Ephes. 5. Chriſtus dilexit Eccleſiam, repræſentetur; haud quaquam dubium eſſe, vel obſcurum cuipiam oportebit, Sanctam, quæ cæteras omnes virtutes ad ſummum excoluit, hanc etiam excelſiſſimo faſtigio erexiſſe. De quo vt nullam aliam coniecturam haberemus, quantum faciendum putamus, in illa flagrantiſſima vitæ expeditioris cupiditate, marito Laurentio hac calamitoſiſſima vita expedito, ipſam eius obitu tam acerbas, támque vberes lacrymas, eius deſiderio, profudiſſe, nihil vt præter ipſum amarè, nullum vnquam tantum hauſiſſe dolorem in vita, nullam niſi diuini conſilij, de mariti interitu, conſolationem accipere poſſe crederetur? Quo eodem ex genere, non faciam vt B. Delphinæ, eius, qua de proximè dicebamus, factū ſilentio iacere conſepultum feram. Miſſus à Roberto Rege conſanguineo B. Alziarius maritus Pariſios, pro

Caroli Calabri matrimonio, diem ibi conclusit extremum. B. Delphina, quæ Auenione cum Rege remãserat, per idem tempus, quo Alziarius coniunx Parisijs decedebat in cælum, visa est Regi, Regínæque solito mœstior è mensa surgere, vultu admodum immutato, vbertim lacrymas ex oculis fundere, eiulare, plãgere, & extraordinario quodam sese mœrore conficere. Qua repentina mutatione offensi Principes, cùm eius luctus ex ordine causam sciscitarentur, suauissimũ Alziarium respondit Parisijs diem obijsse supremum, réque per veredarios cursores sedulò explorata, compertum est eadem illa hora, qua funebrem questum inchoauerat, contigisse. Geminum mulieribus Christianis propositum exẽplar, vt maritos, Dei ipsius loco diligãt, colant, foueant, obseruent; non fastidiosæ, non morosæ, non insolentes, quarum plerũque id vitium est, vt minus id amẽt, quod magis habent; id magis appetant, quod magis iustæ amicitiæ leges vetant. Quod porro virum caput esse mulieris, illique mulierem subiectam esse oportere, tanquam domino, imò veluti Christo diuinus Apostolus definiuit, quid voluit aliud, quàm mulierem, si dici fas est, nihil audire, nihil videre, nihil eloqui, nihil gustare, probarèque, nihil sentire, nihil suspicari, nihil cogitare, nihil velle, nihil sapere, quæ omnia capite continentur, inconsulto marito debere? non pedem, non manum, non corpus, nisi illius sui capitis ductu, atque abitrio, commouere? Quantum ad liberorum educationem altero speculo repręsentatã, mirabile est, quàm se ex-

Ex Actis Canonizationis S. Alziarij.

II. LIBERORVM EDVCATIO.

cellentem omni ex parte matremfamilias exhibuerit. Prolem ex Laurentio præclaram, & numerosam clementissimus illi Deus prosperauit: *Ecce enim sic benedicetur homo, qui timet dominum. Vxor tua sicut vitis abundans in lateribus domus tuæ.* Quam illi felicitatem fœcundi vteri, credo, Deus indulsit potius, vt orbi Christiano prolis instituendæ exactam in B. Francisca ideam delinearet, quàm quod ipsa id admodum aut curaret, aut quæreret. Nam optimè conscia quàm caro stetisset Heli sacerdoti prauam liberis disciplinam dedisse, quàm gloriosum contrà fuisset Annæ Deo magis, quā suo genio parturijsse, & nobilissimæ Machabæorum parenti adeo generosam cælo sobolem immisisse, quod ea filijs fortiter ad mortem oppetandam impellendis aliquando dixisset, fecissetve, ipsa, tota vita suorum mentibus, moribúsque expressum esse voluit. *Nescio qualiter in vtero meo apparuistis: neque enim ego spiritum, & animam donaui vobis, & vitam, & singulorum membra non ego ipsa compegi, sed mundi creator, qui formauit hominis natiuitatem, quique omnium inuenit originem.* Tum vltimo decertanti ad vltimam Luctam exstimulando, *Fili mi, miserere mei*, *inquit*, *quæ te in vtero nouem mensibus portaui, & lac triennio dedi, & alui; & in ætatem istam perduxi. Peto nate, vt aspicias cælum, & terram, & ad omnia quę in eis sunt, & intelligas quia ex nihilo fecit illa Deus.* Hanc illa mercedem vnam exposcit fastidiorum, & laborum suorum, quam vnam matrimonio propositam in Christiana schola didicerat, vt liberi cælo, non solo procreentur. Ergo eos, ante omnia

Psal. 127.

2. Mac. 7.

prohibebat quidquam audire, aut spectare, quod non esset cum honestate, & cum pietate coniunctum: ab illis societatibus maximè arcebat, vbi suspicio esset aut friuola, aut vitiosa, aut non ita decora tractari: Dauidicos concentus, & sacros hymnos, non sputatilicas, & pruritu nefando aurium infames cantilenas edocebat: ijs magistris potissimum committebat, qui non magis literarum scientia, quàm probitatis cultu excellerent, qualésque Philosophus Seneca dicebat, *Quos magis mirere cum videris, quàm cùm audieris*: vti vnà cum liberali doctrina, excolendæ pariter conscientiæ Disciplinam haurirent: diebus festis secum ad rem diuinam, atque ad sacras conciones gregatim ductabat, quos illa dies totos religioso cultui deuouebat. Denique in hoc omnium maximo, & imprimis ardŭo, & supremo negotio prolis optimè imbuendæ, vt quo semel imbuta recens fuisset, odorem deinde seruaret, quantum B. Francisca profecerit, ad vltimum apparuit, cũ filios sui persimiles, sancta sanctos, quod ego in summis illius miraculis certè censeo, procreauit, vti Carolus Caluus Imperator, atque Rex Galliarum non magis Regium esse, aut gloriosum dicere solebat, Regnare, quàm Reges facere, aut factis à se Regibus Imperare. In cæteris vnum nostra Beata insignem extulit, Euangelistam appellauerat, qui inde à tenera ætate, senili maturitate quadam, & Prophetiæ quoque miraculo claruit. At enim semel educto è vagina gladio, qui ex Patris ense pendebat, eo in Patris sui renes leuiter obuerso, haud multo ab hinc tẽpore,

inquit, mi Pater, hoc ipſo in loco, & grauem, & periculoſum ictum accipies: nec vana fuit, vel puerilis denunciatio. Anno M.CCCC.VI. Ladiſlao Rege Neapolitano ab Romanis per tumultum, & ſeditionem, ad vrbis cuſtodiam aduocato, populari, vt ſæpe aſſolet, contentione, inter ciues, & Ladiſlai milites concitata, Laurentius Parens, quod illi ante fuerat ab ſuo Euangeliſta prænunciatum, in illo ciuili tumultu, fuit grauiſſimo ſub renes vulnere tranſuerberatus. Nec ſemel Euangeliſta adoleſcentulus, ac penè puer euentura prædixit. Virum alias religioſum, eorum mendicantium ex numero, qui ſublata pera oſtiatim ſtipem colligunt, certo prognoſtico admonuit fore, vt breui illum mendicantis habitum, cum honoratiori, veſtitu commutaret; vt dixit, vt accidit. Ille paulo poſt fuit inauguratus Epiſcopus. Præcipuo cultu Sanctiſſimus puer SS. Abbates Onufrium, atque Antonium proſequebatur; porrò horribili inguinaria lue Romanã vrbem, fœdum in morem, depopulante, ipſe in peſtilentem quoque morbum prolapſus ſe moriturum breui præſenſit: calidè Confeſſionis peccatorum miniſtrum Sacerdotem expetijt, matrem premonuit par illud Sanctorum tutelarium aduentare magna Angelorum turba ſtipatum, vt illum extempore in cœlum, æternum Beatorum domicilium proſequantur. Quã opportunè profectò, illo ipſo die, ineffabili quadam voluptate, Beatus nouem modo annorum puer ad cęleſtem patriam ex funeſto ergaſtulo euolauit, víxque egreſſus ex carceribus, decurſione mirabili, metam attigit.

attigit. De quo ne vlla caufa dubij hæreremus, eadem hora, qua ille decefferat, puella quædam in illa vicinia, lue quoque populari correpta, etfi iam linguæ vfum ex morbo perdiderat, refolutis momento faucibus, Euangeliftam conclamat Pontianum numerofa Angelorum multitudine circumuallatum fe confpicere gloriofum ad fydera gradientem. Vaticinium fuit. Familiares attoniti, re peruestigata, comperiũt eadem hora Euangeliftam è viuis ad fuperos emigraffe. Si id parum eft, ecce iterum Agnetem puellam quinquennem fraternæ fanctimoniæ confociatam. Vix anno tranfacto, Francifca domi in cubiculo orationi, primulùm pungente aurora, vacabat. Euangeliftam fuum clarè redeuntẽ adfpicit, eadem ætate, ea ftatura corpufculi, ea fpecie, qua obierat, nifi quòd multo pulchrior lucidiffimi fyderis inftar emicãs apparebat, altero veluti coæuo puero paris pulchritudinis comitante. Mater ijs fpectaculis haud infueta, dulciffima fobole confalutata, fimul perdiu de cælefti gloria, qua fruebatur colloquuta, infuper ab eo certior facta fecundo illum Angelorum confcriptum choro, demũ extremũ id audijt, quod maximè auebat, fe potiffimũ è cęlo delapfum reueniffe, vt Agnetẽ fororẽ iucundiffimã fibi inter Angelos adnumerandam adiungeret: quibus genitricem affatus, folatúfque diuinæ fignificatione voluntatis, repentè ex oculis fefe in auras mira celeritate proripuit; ac poft Paulum Agnes corpore expedita cælum petijt, poftquàm decumbentis ad lectulum mater Columbam pręcipuo candore albican-

tem circumuolitantem antè prospexisset, quæ succenso cereo ad rostrum appēso, iacentis puellę membra singula pedetentim veluti obsignabat. Iam satis de liberis, quæ Philosophus Aristoteles tanti momenti esse censuit, vt maximam parentum felicitatis partem in ea cura constitutam putarit, illa enim eius sunt

Oecon. l. 1. c. 2. in œconomicis. *Cùm ergo tanta adhibeatur cura pro corporis esca, quid pro liberis, & matre educatrice? nonne protinus omne studium fuerit adhibendum? hoc enim solo hominum conditio mortalis existens per successionem immortalitatem consequitur, omniáque parentum vota huc tendunt. Quamobrem qui ista negligit & Deos ipsos videtur negligere.* Maximè verò id exemplo faciendum existimat. *Nisi enim parentes exemplum vitæ filijs præstent, euidentem excusationis causam erga se illis relinquunt. Ac timendum est, ne contempti à filijs quasi non benè vixerint, in senectute deserantur.* Id nos quotidie lamentabili experientia accidere non tam videmus, quàm meritò ingemiscimus, vt sibi flagella fecisse non liberos parentes vt plurimum sen-

III. FAMILIAE CVRA. tire cogantur. De reliqua familia ad tertiam figuram expressa non ero prolixior, de quibus Apostolus imperat, *Domini quod iustum est, & æquum seruis præstate,*

Coloss. 4. *scientes quod & vos Dominum habetis in cælo.* Atque ite-

Ephes. 6. rum, *Et vos Domini eadem facite illis remittētes minas scientes quia & illorum, & vester dominus est in cælis, & personarum acceptio non est apud Deum.* Pudet referre quàm turpiter in ea Christiani officij parte peccetur. Corpore, atque animo constamus omnes, serui, liberíque: vtrique eundem seruatorem, ac dominum, eandem pro-

positam gloriam habemus: quo fit vt matresfamilias quia spiritum eodem ex fonte hauserunt, seruorum etiam curam gerere teneantur, neque eos ita, vt muta quædam, languidáque pecora contemnant, quos aliquando in cælo æquales, forte etiam superiores habituræ sunt; corpora verò ne vel immoderatè sana opprimant, vel ægra indignissimè, Barbarorum more, proijciant. Aristoteles optimus magister haud multo secus, quanquam minimè Christianus præcipit; *Cum seruis autem*, inquit, *ita versetur, vt neque superbos esse sinat, neque abiectos. Quapropter oportet considerationem habere, ac indulgere illis, & permittere singula secundum merita, & cibum, & vestem, & quietem, & castigationem; verbo, & opere Medicorum artem imitãdo.* Ego autenticè scriptum in B. Franciscæ actis inuenio, tanta affabilitate tractabilem se, atque amabilem omnibus præstitisse, vt seruos præut germanos fratres, ancillas velut sorores, æqualésque coleret; imò gauderet ex æquo per omnia cum domesticis mãcipijs tractari, haberíque: eos si aliqua leuicula culpa læsisset, demissè ab illis errati veniam postulare, errorémque, quantuluscunque esset, extemplo corrigere consueuisse. Qui si è contrariò diuinum numen aliquo piaculo prouocassent, demum ex aduerso illam leænæ grassantis ad instar inflammatam, ardentémque id cuicuimodi foret, constantissimè castigatum vindicasse, non tam authoritate, quàm exemplo præfuisse, iussis herilibus religiosa passim monita ad Christianè viuendum addidisse: quantum ad seruorum corpora, nec torpere inertia,

OEcon.1. ca.5.

nec languere otio, nec succumbere immoderato labore sinebat: si ægri decumberent, tantum abest, vt quod feri homines faciũt, in impluuium abjiceret, vt eos in lectulo domi ipsa sua manu aleret, illis omnia abundè quouis pretio venalia, quæ necessaria erant subministraret. Specimen ex cognata vannotia capere possumus, quæ eodem tecto vtebatur. Illa ex graui morbo ita gustus sensum obstipatum habebat, vt vel ad ciborum intuitum nausearet; quare auiditate quadam an muliebri, an ex ægritudine contracta, eam aliquando cupido cancri terrestris incessit, qui curiosissimè conquisitus cùm nec prece, nec pretio reperiretur, B. Francisca misericors, iacentis commiseratione permota Deo fidenter supplicauit, vt infinita sua sapientia, præsenti leuatione, ægræ vannotiæ subueniret. Neque irritæ, vel inauditæ preces. Dum domestici simul omnes in aula domi cũ matrefamilias versantur, è summo tabulato cancer eius generis necinopiniatò decidit inusitatæ magnitudinis. Gratiæ diuino obsonatori Deo ingentes habitæ; expetitum ægræ esculentum ipsa suo marte conditum apposuit, impensius etiam, quàm illa sperauerat, refocillauit; nam eo cibo non celerius auiditatem, quàm ipsam simul ægritudinem propulsauit. Erga exteros quomodo se gesserit mirari potiùs tacitè, quàm scribere tenuiter liberet, nisi speculum ea quoque parte tersissimum se mulierum generi proposuisset, quatuor illa, quę Diuinus Apostolus admonet, absolutè complexa. 1. *Super omnia autem charitatem habete, quod est vinculum perfe-*

IV. ERGA PROXIMOS QVOMODO SE GESSERIT.

Coloss. 3.

ctionis. 2. Et pax Christi exultet in cordibus vestris, in qua & vocati estis in vno corpore. 3. Induite vos sicut electi Dei, sancti, & dilecti viscera misericordiæ. 4. Verbum Christi habitet in vobis abundanter in omni sapientia docentes, & commonentes vosmetipsos. Quæ ego conglobatim dum expedio, primùm illius erga corpora charitatem, deinde erga animos studium expono. Ardebat illa enim magis, quàm amabat, si quem aut rerum, quæ ad corpus sustentandum pertinent, indigentem, aut eorum, quę ad salutem animi necessaria sunt, penuria laborantem offenderet. Hinc erat quòd ædes illius Xenodochium potius pauperum, quàm vnius priuatæ personæ domicilium videbantur. Nemo mendicus ab eius vestibulo vnquam frustra sine stipe recessit; vulgo à miseris omnibus nullo discrimine eius atria, porticus, interiora domus frequentabantur: vnde solenne illi erat nihil domi proprium quamuis pretiosum, aut necessarium habere, omnia promiscuè solius necessitatis habita ratione vulgabat, familiaribus nonnũquam licet obstrepentibus, quòd se statim liberali cõgiario, quæ eleemosinæ causa effudisset, reposituram pro certo confideret. Vrbs aliquando summa annonæ caritate premebatur; omnia mendicis vndique, atque ægris latè compita obsessa laborabant: B. Franciscę Socer Andreottius commodùm eo anno generosioris vini selecto dolio sibi, familiæque prouiderat. Nostra misericors, ad quam miseri omnes tãquam ad commune diuerticulum conuolabant, largè omnibus pretiosum liquorem adspersum depromebat: itaque

1. Corporum curã quàm solicitam haberet.

breui quotidianā, nec interrupta benignitate, doliū, ſocero inſcio, exinaniuit: non multo poſt, ſocer viſendi, explorandíque meri anxius cùm plenè, belléque vacuum, atque exhauſtum comperiſſet, ſuſpicatus id quod res erat; in piam nurum clamore, & non nulla exprobratione ſuccenſus cæpit de damno expoſtulare: at illa ſuauiuſculè factum excuſans, ſoluto primùm, ac tranquillo animo eſſe iubet; tum recipit ipſo veſtigio ſe illi de eodem dolio propinaturam; cum vannotia ad cellam aduolat, vas vinariū, ſine dolo, prout antea bene plenum offendit; acclamatur. hauritur. in ſtuporem itur. numini quàm infimo ex pectore grates ingentes perſolutæ; ſocer obſtupefactus, edoctúſque: nurus in virtutis propoſito firmata magis; pauperes ſuſtentati; omnes ad vnum prouidæ propolæ ſapientiam admirati, ipſa ad inſtitutam pietatem incenſa ſemper ardentius mendicorum vſibus deſeruire inſtituit, vnde aucta in dies, atque congeſta miracula. Alio quodam die, parum admodum grani, quod ex domeſtici horrei emiſſitijs quiſquilijs recollegerat egenis elargita, eò poſtmodum regreſſa plus quadraginta modios germani, ac ſinceri frumenti reperit. Cruſta, mucidáque reciſamenta ex eleemoſinis hinc inde corrogata ſibi ipſa ſeruata ſumebat, eorúmque in locum clanculum panem recentem artolaganum in ſacculos pauperum ſubmittebat. Obfirmatè adeo, conſtantérque ægris egentibus ipſamet ſtudium, atque operam impendebat, vt illis curandis, totos quadraginta circiter annos, quibus vnà cum

Laurentio vixit, conſtet in eam curam incubuiſſe. Noſodochium S. Spiritus, & Campi ſancti ante omnia, & S. Mariæ Trans-Tyberinæ præcipuo ſtudio excolebat, vbi non ſolum ægrotis ſua opera obſonabat, ſed cibum domi ſuę exquiſitè apparatum ſuis ipſa manibus porrigebat: nec eſculenta modo, vel poculenta vulgaria accurabat, at ſimul etiam medicamenta, ſportellas, bellaria, dulciaria, aliáque ad ægrorum guſtum ſubleuandum, acuendúmque non maiori copia, quàm munditia, & vrbana quadam, gratáque elegantia ſubminiſtrabat. Eſtnè quo progredi poſſit vlterius admirandæ matronæ erga miſeros, ægróſque homines munificentia? Inueniemus. non profusè tantùm illa ad victum neceſſaria, quibus opuléta fœmina domi abundabat, largiebatur, verùm ad inauditæ cuiuſdam, ſtupendæque profuſionis cumulum, & magni Pauli Nolani inſtar ſe ipſam ipſam in pauperes effunderet. ô ſpectaculum, non modo ſpeculum vix vſquã hominibus in tota antiquitate ſpectatum! ipſa ſæpenumero ſermenti, lignorúmque faſciculos, pedes, aut de ſuo, aut raptim aliunde ruri excerptos ſuis humeris, inde à vinea ſuburbana per vrbem baiulabat, aut ſi oneri ferendo non eſſet, aſellum onuſtum in oculis omnium, nobilis, & clara, & diues fœmina circunducebat. Non raro, comitante vannotia, certos vicos ab vrbe diſtractos adibat, vbi ipſæ remotis arbitris ignotæ mendicatim ſtipem poſtmodum egenis refundendam quæritarent, tam ſiniſtro plerúmque ſucceſſu, vt ſcommatis, ſalibus, & conuitijs, loco eleemoſi-

narum, onustæ reuerterent. Id verò adeo ex professo faciebant, vt sub illud tempus, cùm solenniores ad S. Pauli ędem suburbanam stationes frequẽtabantur, affluente magna mortalium multitudine, ambæ ad sacræ ædis fores alijs se mendicantibus fœminis nonnunquam adiunxerint, paucísque nummulis hinc inde corrasis auditæ fuerint Deo laudes, gratésque iterare, quòd eo die ancillulis pecuniolæ tantum prouidisset, quantum illis ad tantillum lupinorum, & panis ad cibum satis esset. Vnde ad illam coniecturam ego adducor, non solum opis pauperibus afferendæ causa, solitam B. Franciscam mendicare, verùm vt domesticarum dapum delicatiore delectu fastidito, atque egenorum vsibus reseruato, pauperum epulas prægustatas sibi de industria retineret, vt nec marito rem domesticam dilapidare, nec tamen egenis lautè tractandis deesse videretur. Quæ si vel quia miracula, vel quia extraordinaria, vel religiosarum potius, quã nuptarum propria parum imitationis habitura iudicabuntur, meminisse tamen Christianas mulieres oportebit, etsi peculiarem quendam Dei inspirantis instinctum ad illa singularia sequebatur, tamen eo imitationis ansam præclaram præbuisse, tum quòd se diuinis instigationibus penitus conformabat, tum quòd nihil omnino marito inscio, aut inconsulto moliebatur, tum quòd in ea sexus infirmitate, fœmina, quantum fœminæ cum Dei ope audere, quantum facere, modo adsit animus, etiam queant, suis exemplis commonstrauit. Nunc quantoperè animorum salutem

tem anhelaret, quanquam ex illa opera nauata corporibus ſuſpicari poſſumus, tamen aliquando oſtendit, quando ſeu ægris opitularetur, ſeu victum inopibus procuraret, eadem opera eorum mentes ad Chriſtianarum virtutum obſeruantiã exacuebat, Chriſti ſeruatoris imitatione, qui corpora ſimul, atque animos eodem beneficio perſanabat. Fuit in D. Cæciliæ hoſpitali pauperum domo quædam fœmina, quam lecto periculoſus morbus afflixerat: hanc vaticinata B. Franciſca, ex barbara quadam deſperatione, filiũ obſtipata gula ſtrangulaſſe, deteſtandi parricidij commonefactam, conuictámque ad voluntarios pro ſcelere ſubeundos pœnitentis animi cruciatus, tum ad ſaniorem mentem facilè impulit. Qua ex cauſa, vt in promptu Noſodochij egenis decumbentibus Sacramentorum facultas adeſſet, ſacerdotem ſuis expenſis ad S. Mariæ trans Tyberim ſuſtentabat. Incredibili ardore dies, noctéſque flagrabat deuios ſceleratorum hominum ſenſus ad meliorem indolem reuocandi: continuas eam in rem preces ad ſuperos eiaculabatur. perennes ex oculis lachrymas profundebat; pectus pugno complicato pulſabat; corpus atterebat; inertia ingenia inſidiatoris Dæmonis conatibus obſiſtere neſcia præcipuo ſtudio commiſerabatur, ſe eorum cauſa ita vexabat, mulctabátque, vt cacodæmonũ nequitiam, & intentatas miſeris machinationes longè moleſtius, quàm eorum ictus, & crepitus ferret. Quãdam ſua inſtitutione diſcipulã, ſupremo agone, cum morte luctantem ſubodorata de animi quoque inte-

2. Animarum curã quantam habetet.

ritu periclitari, sanitati restituerat, quo vitæ emendatioris consilia imposterum iniret: id adeo indignè Cacodæmon accepit, vt, facta incursione, duo ferocissimi ex Tartaro lemures famulam Dei, obtorto, è neruis durissimis, flagello extremè cæsam miserandum in modum lacerauerint. Alteram eiusdem instituti Catarinam non tam morbo, quàm deuexa ætate decrepitam, desperata valetudine, loquendi facultate deperdita, à sensu etiam abalienatam, iam, iámque moribundam tandiù in extremo conflictu retinuit, dum Sacerdos, qui ab vrbe aberat, quinto, sextóue pòst die reuerteretur, à quo supremum Sacramentorum solatium consequuta, mori à B. Francisca permissa exspirauit, quasi precibus pendulam eius vitam teneret: tum enim Litanijs à Beata conceptis, ab ea in hæc verba iussa decedere, *vade in pace, roga Deum pro me.* Dicto audiens obtemperauit. Ita hoc consequuta erat diuinitus, vt non ipsa modo Sancta esset, sed quoscunque alios sua familiaritate cõtingeret, sui similes breui redderet. Illius aspectu, alloquio, congressu illo toto sociali, ita singulorum ingenia obuertebat, vt siue dissensione aliqua, siue lasciua turpitudine, siue inueterato quopiam alio scelere, aut vlla alia immoderata perturbatione laborarent, eos momento componeret, & meliora concipere animo suaderet. friuola, scurrilia, inutilia, turpia, aut quę tantillum alienam famam attingerent, eorum à quibus frequentaretur, nullo pacto ferebat, frangebátque, ita vt vel ad diuiniora diuerteret, vel subito inchoatis alia

honeſtiora quodammodo adſuta, interruptione non ingrata, miſceret; vel ſi illud non poſſet, interiecta ſalutari reprehenſione prorſus abrumperet. Ita fiebat, vt quaſi Ætnęum quoddam diuini amoris incendium, circùm omnia vicina ſuccenderet, atque vndique in mortalium animos, ex ſui pectoris veluti flagrantiſſima Pyra, ardentes pietatis ſcintillas, necnon cæleſtes igniculos euibraret. Quibus demum artibus id aſſequebatur, quod princeps Apoſtolus exigebat, non ſolum vt cum omnibus pacem firmaret, ſed ipſa apud omnes beneuolētiam, reuerentiam, admirationem, præcipua matronalis dignitatis decora, ipſa pacis, & ſocialis amicitiæ perpetua conciliatricula nanciſceretur. Facilè ſiquidem tua cedendo, alia nihil attingendo, çum omnibus pacem inuenias; maximè ſi te ſubijcias ipſe omnibus, nemini anteponas, omnibus proſis, nemini officias, ijs artibus doceas tygres etiam; nedum efferatos homines manſueſcere. NAM quatenus modo ad perſonam vxoris attinet, ea ad quintum illud aliud ſpeculum referuntur, quæ Paulus Apoſtolus de moderato præſertim cultu corporis præcipiebat, quæúe Ariſtoteles naturę veſtigijs ſolertiſſimè indagata, ad ſempiternam earum mulierum ignominiam, quæ Chriſtiano nomine profanam laſciuiam obtegunt, in proba matrefamilias deſiderauit, videlicet frugalem in habitu, totáque vitæ conformatione temperantiam, & inuictam in rebus aduerſis, maximè quæ maritum obſident, tolerantiam; nos, qui cum Chriſtianis agimus, tertiam quan-

V. ERGA SE IPSAM, QVALEM DISCIPLINAM *obſeruauerit.*

dam omnium Reginam adiungimus, lasciuientis corporis castigationem, cum moderata seueritate temperatam. *Sumptu autem, & vestitu, & apparatu* (inquit de matrefamilias Aristoteles) *minori etiam vtatur, quàm leges permiserint ciuitatis; considerans nec vestimentorum nitorem, nec excellentiam formæ, nec auri copiam tantum ad mulieris laudem, quantum modestiam in rebus, ac studium honestè, decoréque viuendi valere: etenim omnis huiusmodi ornatus animi optabilis est, multóque firmior ad senectutem vsque ad veras laudes sibi, atque liberis comparandas.* Quoad illam in aduersa fortuna constantiam, incredibile est quàm Christianè non Christianus homo philosophetur. *Quapropter decet non solùm in prosperis rebus, secundáque fortuna vnanimem sese viro præstare, & inseruire velle, verùm etiam in aduersis. Si sit in rebus defectus, vel corporis ægrotatio, vel alienatio mentis, æquo ferat animo, & obsequatur.* Tum post paululum, magnum negotium exẽplis assequitur. *Putare debet mulier hinc optimam sibi laudem si rectè se gesserit peruenturam: secum ipsa repetens, quia nec Alceste tantam sibi gloriam parasset, nec Penelope tot, tantásque meruisset laudes, si cum fortunatis viris vixissent, verum Admeti, & Vlyssis aduersitates parauerunt illis memoriam sempiternam: nam prosperitatis quidem facilè est reperire participes, aduersitatis verò, ni optimę sint mulieres, participes esse renuunt.* Nec mihi ille aliquid scripsisse verius vnquam videtur, quàm cùm asseruit *forma, & pulchritudine fœminas beatitudinem metiri, nihilque magis cupere in vita, quàm esse, aut videri formosas.* Quid illa insana? *speciosa quæro pascere Tygres?* pudendum, ac deflendum

Occon. li. 1. cap. 1.

1. Cultus & fastus muliebris contemptus.

Horat. 3. od. 27.

ſatis,in Chriſtiano cælo, nihil illas refugere, vt vaniſſimæ pulchritudini obſequantur. qui Spurinam neſcio quem nouimus, apud Valerium,in media infidelitate, adoleſcentem elegantiſſimum,cùm ſeſe appetitum à fœminis cerneret, vt libidinis illis materiam tolleret, ſibi vultum dedita opera dedecoraſſe, oríſque decorem vulneribus confudiſſe. *Fœdera ſeruaſſet ſi non formoſa fuiſſet.* Arripio de iſtis omnibus, quod ille de vna argutè cecinit; ſyluam certè iſtæ adulteriorum, & maleficiorum accendunt, quibus Poëtarum theatra omnia, Oratorúmque ſuggeſtus perſonare videmus. Cæterũ hac parte mulieres, vt in omnibus,ſemper extremæ vel nimia, vel pauca, quanquam rarò pauca,appetendo peccant. Neque enim ego ille ſum Stoicus, aut ferreus,qui omnem à fœmina ornatum auellam: Philoſophis ſua materia prima informis, & omni elegantia carens, quam ſubtiliſſimus Auguſtinus idcircò, aut nihil, aut propè nihil appellauit, ex natiua deformitate, appetitu inexplebili omnes formas, ſpeciéſque deſiderat, neque in vlla poteſt quantumuis perfecta quieſcere:quam enim anima rationali perfectiorem appetere poterat? Certè Ariſtoteles materiam alia ex parte veluti matrem nominauit; accipio omẽ, atque ex ingenita deformitate deſperatam illam formæ cupiditatem ſatis ignoſco. Verùm animi illa eſt, prout proximè aiebat ille Philoſophus, quæ verè formoſas efficere ſola, & perfectas poteſt. illa alia corporis fluxa eſt, floríſque ſimillima, quæ momento tẽporis defloreſcit. Quanquam haud inficiandum etiam

Lib 4.
Ouid. ij. faſt.
Ariſt. 1. phyſ.

Cic. Orat. Perf. eas suum quendam cultum decere, ita vt inornatæ cùm sint, ornatæ videri queant; idque eas maximè deceat non esse ornatas: quædam enim sunt socialis cuiusdam decori, quod Græci τὸ πρέπον nominant, ornamenta, quæ maritorum quoque oculos domi contineant, ac honesto quodam veluti incantamento deliniant: sed ita, vt illud Iuliæ Imperatoris Augusti filiæ mordicus teneant, quam frugalissimus Imperator cũ ægreferret comptiorem solere esse, quàm necesse esset probæ, vidisset verò illam aliquando modestius Macrob. 2. Satur. compositam, *Quanto hic in filia*, inquit, *Augusti probabilior est cultus*. Cui illa, *hodie me*, inquit, *patris oculis ornaui, heri viri*. Vsque eo sanè non improbetur illa luxuria, vt obsequentes maritorum oculis, non adspectuum alienorum aucupandis illecebris sese comparent. Diuini ingenij vir Augustinus Christianam matronam seriò admonet, castigátque, quòd pannosa nimis inuiti mariti oculis obsolesceret, in quo muliebrem etiam refractariolam arrogantiam argutè per- Ep. ad Ediciam. stringit. *Quid absurdius*, inquit, *est, quàm mulierem de humili veste viro superbire, cui potius expedit obtemperare, quàm in nigellis vestibus repugnare?* Alias, quæ non se virorum, sed alienis oculis ornant, videre est familias euertere, maritos ad versuras adigere, liberis ex faucibus pulpamenta, quæ ipsæ vestitu deuorent, Struthionibus crudeliores auellere: alienis viris veluti retia, venereásque tendiculas explicare: atque vt cum magno Philo- Senec. l. 7. Benefic. sopho dicam, *Non satis muliebris insania viros subiecerat, nisi bina, ac terna patrimonia auribus singulis pependissent.*

Vt parum Comicus dixisse iudicio illius censeatur, cũ illa diceret, *Videas mulieres totis fundis exornatas.* Ad quid? si illis sumptibus mariti sudant? si ingemiscunt? si ferre non possunt? nisi vt contentionum, & malefica zelotypiæ semina iaciantur, si aureo illi flumini eloquentiæ Christianæ credimus? *Ille ornatus & zelotypiæ suspicionem inijcere sæpè solet, & inimicitias, & cõtentiones, & pugnas concitare.* Ita enim accidit vt castæ mẽtes lasciuo habitu in suspiciones incurrant, cõtrà verò lasciuæ simplici ornatu obtegantur, prout castissima illa vestalis Clodia, cui luxus vestium pudicitiæ laudem adulterauerat. *Casta quidem sed non est credita: rumor iniquus læserat. Cultus, & ornatos variè fudisse capillos, læserat.* Quo in genere noster Ausonius subtilius etiã muliebrem illam insaniam castigauit.

Plaut. in Epid.

S. Chrys. hom. 21. ad pop. An.

Ouid. 3. fast.

Dissimules est his túque, sorórque tua
Hæc habitu casto, cùm non sit, casta videtur,
Tu, preter cultum, nil meretricis habes.

Quid quòd aliquæ nec viris, nec alijs, sed sibi cultũ perditè amant, & aucupantur? *Studiosum, amánsque ornatus genus fœmineũ est, multásque insignis pudicitię quamuis nulli virorum, tamẽ sibi scimus libenter ornari*: id S. Hieronymo, non mihi credatur; diù ille frustra hocce domesticum an maleficium, an latrocinium insectatus exprobrauerat. Hoc monstrum horrendum, immane, ingens, triplici extremitate formidabile Christiana Heroina nostra genus sanctiorum quarundam Amazonum, detruncauit: quæ nobili loco nata, nuptáque muliebres ineptias calcauit, quod de Platonis fastu

D. Hieronym. Ad Gaudent.

quidam Philosophus iocularirer aiebat, vt simplici, & mero vestitu pullo, non gemmis, non fuco, non multicoloribus mercibus, veluti cęterę tegeretur, quę omnia diuendebat, vnde pauperibus nummos, victúmque faceret. Oportuit despicatissimo habitu fuisse, quæ sæpe, vt dictum est, se alijs fœminis mendicantibus, ad templorum vestibula, miscebat, quæ ligneis fascibus onusta per vrbem asellum agebat. Neque verò, illa egregia sui cōtemptione, suæ mentis altitudini satisfactum putabat, nisi aliarum quoque mulierum luxū, absque inducijs, insectaretur, in quarum animis vel sedula admonitionum cura, vel præclaro suo exemplo, vel occultis ad superos precibus, tantum profecerat, vt pleræque fastum, & pompam, & gemmas, aurum, sericúmque cum modesto, atque Christiano ornatu, grato vniuersæ ciuitati, opportunóque spectaculo, permutarent. Fucati verò medicamenta candoris, & ruboris omnia non aliter, quàm prodigiosum piaculum exhorrescebat, & ab alijs omni studio remouebat, quæ insitam Dei conditoris beneficio formam ementitę, adulterina, laruatáque obductione corrumperent. Nam ad eum modum disertissimus Cyprianus, in illas mulierum Citerias, cōceptis verbis, pridem stilo illo suo vltore, desæuijt. *Manus Deo inferunt, quando illud quod ille formauit, reformare contendunt, nescientes, quia opus est Dei omne quod nascitur, Diaboli quod mutatur, &c. Nū metuis oro quę talis es, ne cū resurrectionis dies venerit artifex tuus te non recognoscat? vt increpans vigore censoris, & iudicis dicat; opus hoc meum non est,*

S. Cypriā. lib. de habitu virg.

nec

nec hęc imago noſtra eſt, cutem falſo medicamine polluiſti. Laruas ego cum admirando Chryſoſtomo nominaui, cuius illa ſunt dicta præclarè. *Inanem gloriam hanc maiores noſtri omnes merito dixerunt; inanis námque eſt ſicut laruę, quę pulchrę quidem viſu, & decoræ, intus verò inanes reperiuntur, quare cum aſpectu elegantiori appareant neminem vnquam ad ſe amandum allexerunt.* Pereleganter ſanè, vt noſtrarum mulierum faſtus ſemel ex Philoſophi Barbari ingenio retundatur, apud Xenophontem in Oeconomico iſtas excuſationes eludit Iſchomachus, cùm ſe id maritorum imperio, ſaltem genio, facere mentiuntur. *Age, inquam, coniunx*, inquit Iſchomachus, nonne ea pactione cõuenimus ambo, vt ſua alteruter alteri omnia conferret, nihil proprium reſeruaret, omnia in medium, & in commune haberentur? ita, inquit vxor. Iam quæ mihi probam, & germanam dotem numeraſti, ſi tibi, inquit, ego pro tua dote præſtigias, aut offucias darem, idnè tibi gratum duceres futurum? aut tu fictas armillas, fictos torques, fictum aurum, quàm quæ tu pura attuleras, malles? nequaquam, illa inquit. Atqui corpora, inquam, tu mihi, ego tibi connubiali lege tradidimus, nunquid? ita eſt, inquit. Age verò, annon ego tibi natiua mea forma gratior, quàm aliena fucatus, & coloratus? opinor, inquit, te alium ego haud vnquam feram. tum ille Socraticè irretitam vxorem frugalitatem, & natiuam ſpeciem edocturus, & mihi, inquit, puta mẽtem eandem eſſe, nec tam mentito tuo colore delectari, quàm tuo. Hîc mulier erubuit, & luxuriam, illa mariti ſapientia, emendauit.

S. Chryſ. hom. 2. in Ioan.

Xenophõ in œcon.

1. Quanta Beata Francisca sui despicientia.

Næ illi fatui satis, & ridiculi mihi oppido videntur, qui laruas, quàm mulieres malunt. Nihil B. Francisca tanto, támque implacabili odio est detestata: sui generosissimam despectionem, pro præcipuo ornamento semper habuit: ardentem charitatem pro purpurisso, aut minio excoluit: pudicitiæ candorem pro cerussa; morum incredibilem suauitatem pro serico; miraculorum, splendorem pro gemmis; Christianorum operum inuicta patientia probatorum, pro auro, argentóque; lachrymarum vim perennem pro distillatis laticum pretiosorum ad leniendam cutem lotionibus; *& lachrymæ eius in maxillis eius*; pro Cyprio puluere naturalem pilorum ornatum decolorante, assiduum cum psalte Regio de peccatis admissis pœnitendi studium, cinerem tanquam panem manducans, potúmque fletu miscens; denique pro aureis, gemmatísque annulis, aut catenulis, egregiam viro, proximis, superísque præstitam, & seruatam fidem, constanti illo amore, connexam. Accidit aliquando vt lignis onusta de more, fortuitò in plebeium nescio quem suo item fasciculo oneratum incideret, proximè vno ex Beatæ Franciscæ consanguineis consequente; quo occursu cùm ille baiulus vtrique notus, veritus ne illa ingetato occursu erubesceret affinis adspectu, se vtrique intermedium, vt fasciculo vtrique officeret, inijcere voluit: at illa lignis suis illius oneri in aduersum oblisis, impulsu sibi viam aperuit, & suum illum agnatum ex professo, ac palam consalutauit, præclara de muliebri arrogantia reportata victoria. Atque obsecro quid

illa quo se deprimeret, abijceretque non tentauit, quę inauditarum inuentionum acumina non excogitauit? Viuo marito, ac sospite, eius permissu, iam suarum monialium cœperat cœtum instituere, quæ paulatim eius imitandæ studio quadam in domo ad Campitelli regionem coaluerant: eò illa semel profecta, vt quotidie, re familiari curata, solebat, priorem domus aditum ingressa, pro scalis, quibus in ædes ascensus erat, morata, anteriores ædium valuas occludi iussit: tum pulla ea extima veste deposita, capite velis abiectis penè nudato, comáque in collum, atque humeros temerè crispante, soluto, brachijs, atque humeris expapillatis, cæterum sine cinctu discalceata, sordidata, lachrymis abundè manantibus, suspirijs miserabili eiulatu sonantibus, manibus in crucis imaginem decussatis, oculis in terram depressis, facie inflammata, labantibus genibus, humi postrata, voce tremula, intermortuáque, vociferans obtestabatur, earũ in numerum tanquam mendicam, miseram, & vile peccati mancipium recenseri; quæ ætatis florem vanitati caducæ, fluxæque infeliciter decoxisset; fæcem creatori, ac Domino Deo seruasset. Haud enim ferè se alio nomine, aut appellabat ipsam, aut appellari ab alijs cupiebat, quàm peccatricem, vile scelerum sterquiliniũ, omnis nequitiæ retrimentum, sentinam, ac cloacam spurcissimæ turpitudinis; corruptionis, ac putoris horrendum piaculum, mendacis, vanitatísque insigne ludibrium, denique omnis funestæ miseriæ solenne, ac celebre documentum. Hîc tanta summissione il-

lius sociæ obstupefactæ vno ore pronunciant, nefas esse vt alia magistra, ac præses, ipsa superstite, legeretur, quæ suo iure omnium dulcissima parens, ac mater extitisset. Ergo illis vno consensu ita deinceps omnibus præfuit, vt omnibus subesset, vt se omnium famulam non colorata religiosæ demissionis ambitione, sed sincera voluntate diceret, quæ omnium sapientissima veluti procreatrix habebatur. Tantam animi depressi modestiam inueteratus ille superbiæ buccinator cacodæmon ferre non potuit: illi se ea forma, eóque habitu aliquando obiecit, qui spiritalem ipsius magistrum referret, charta, & sepia, & calamo instructus de industria, vt illas, quod ille nefarius suadebat, tot suas illustrationes, tantásque, ipsa dictante, conscriberet, eum ad finem, vt post ipsius obitum omnibus retro posteris, maximo fructu, glorioso sanctitatis præconio innotescerent: qua eadem de causa illam iuberet, pingendi artem perdiscere, vt spissa diuinarum rerum, atque visorum illustrium volumina, prout plerique Sanctorum veterum, recentiúque consueuerant, ad posteritatis admirationem, atque memoriam exararet. At illa scelestissimum quadruplatorem exsibillatum, & omni ignominia consputatum, insigni constantia propulsauit. Aliàs quaterni eodem ex baratro Tartarei satrapæ, specie humana, se illi humillimè cum infima quadam reuerentia submittebant; prædicabant, efferebant, exaggerabant summam illius pietatem, modestiam, seueritatem in domando corpore, perseuerantiam in religioso, accuratóque

proposito, contestati inter hæc, & professi se haudquaquam vltra posse illi obsistere, in irritum cadere sua consilia aduersus eam omnia, aliáque generis eiusdem, subinde capitibus in illius gremium inclinatis blandiebantur: quibus ex aduerso inuicta fœmina, per contemptum, ac ludibrium superbissima colla, & vesanum sinciput manibus quatiebat; superísque interea grates maximas profundissima quadam animi abiectione pro collatis beneficijs tam diù referebat, dum laruæ illæ stygiales procul summotæ facessserent. At non aliàs magis ista modestissimi animi demissio sinè enituit, quam quando miracula illo artificio dissimulabat, vt cùm morborum omnia ferme genera solo contactu depelleret, redditam sanitatem vnguento nescio quo ex Amaraci, & Rutæ succo admoto celaret. Atque accidebat interdum, vt illa medicamenta vel morbis aduersa, vel ad rem penitus inutilia essent, tantũ vt oculis fucũ faceret ad gloriolæ fugam adhibebãtur. Ægros tamen, quidquid erat, sanatos, vi vt diuina id factum acciperent, Deíque vnius beneficio acceptum referrent, obnixissimè adhortabatur, quo fiebat vt nec Deo sua laus detraheretur, & ipsa vanitatis speciem auerteret. Sim infinitus, si omnia sui deprimendi studia dicere aggrediar, hæc sufficiant pauca de multis. Nunc immane est quantam rerum aduersarum animi, corporísque patientiam semper attulerit; quæ vna virtus, mea quidem sententia, sola societatem coniugalem securam, sola tranquillam, sola beatam vitam præstare potest. Ea si absit, om-

1. Quanta in rebus aduersis Patientia.

nia, demū sursum versus, sus deque disiecta, dissipatáque pessum eant necesse est, Balsamum fruticem ferunt non nisi specillis fodicatum,laceratúmque suauem opobalsami liquorem exudare: nusquam animi robur inuictum tantum, quātum in ista grauioris fortunæ laceratione diffunditur. Per ipsum tempus, quo in humanis versabatur connubij nexibus alligata, Romanam vrbem turbulentissimi supra modum tumultus dissensionum ciuilium agitabant. Sic maritus, vt in communi procella, magna vnda iactatus peracerbos communis perturbationis turbines hausit. Ille raptatus, ille iactatus, ille in exilium actus, ille fortunis spoliatus, ille vxore, liberísque carissimis carere coactus. Frater mariti Germanus Paulucius in eandem calamitatum ratem iniectus, & ipse lamentabili exilio deportatus. Ioannes Baptista filius pro obside, vt magis dicam, postulatus; res domestica per illas iactationes penè in certum naufragium conquassata. In his omnibus imperterritæ matronæ inexpugnabilis animus, veluti cautes medio Oceano, vndique adlatrantibus vndis erectus, immotúsque subsistit. Palmam diceres, quæ tanto magis obnititur, quanto magis pondere prægrauatur. Illa sexu fragili cūcta domabat, spumas liquabat; vndas frangebat, ventos frænabat, re nulla illata humanitus vincebatur: semper eadem, atque sui similis, in prosperis iuxta, & in aduersis facies tum mētis, tum corporis apparebat. Omnia hinc inde humana reciprocis fluctibus immugiebant, flocci faciebat. liberos amittebat, ferebat. ægritudine vel sua preme-

batur, & æqui consulebat, vel mariti vexabatur, & tolerabat. fundatissimæ familiæ ruinas spectabat, nihil penitus se commouebat. obtrectatorum calumnijs, hostium rapinis, domesticorum insidijs impetebatur, pro illis egregia Christi discipula libenter orabat. benefactis malefacta pensabat prunas ardentes amoris, in viscera non modo in caput eiaculabatur. Immanibus cacodæmonum spectris, nec spectris modo, sed petulantissimis prouocationibus, neque ijs tantum, at varijs, inusitatísque supplicijs, atque verberibus incessebatur, ludebat, sorbebat, prouocabat, omnia victricis, erectæque mentis, immobilísque propositi magnitudine ludificabatur. Sæpe illi, multúmque illæ citeriæ, laruæque vmbratiles diù, noctu; opportunè, importunè, horrificis deformatæ imaginibus irrugiebant, quæ illa infanda spectra magis horrebat, sentiebátque, quàm si in mediam flāmis ardentem Ætnam præceps deuolueretur. Tum pro præsenti remedio, ad nocturna præsertim eiusmodi spectra auerruncanda, candelis sacro ritu expiatis vtebatur, quas illi non semel violenter ereptas è manibus, humíque proiectas scelerati ssim9 agitator, sibi haud leuiter infestas testabatur, multo procacius, si illis caruisset, aut alias profanas accendisset, oppidò grassabatur. Sub illa certamina sæpenumero iactata, raptata, pulsata, quassata, aliò deportata, interim à marito vel ægro, ex lectulo accita, vel sano, ad domesticum obsequium euocata, interdum obsequi non poterat, interdum de industria hiscere non audebat, ne moræ causa deprehēde-

retur: postea ad vocantis vocem profecta si de cunctatione à viro carperetur, suppresso eo quod erat, tantùm se modestè, ac leuiter à culpa purgabat. Nocte quadam pijs ex more exercitationibus dedita ab interpellatore importunissimo, facto impetu, ex capillis correpta, ac sursum in aëra vsque ad Podium foras violenter abrepta, mox in viam præcipitanda pendebat, nisi diuina ope repente in tutum reposita seruaretur. Alia vice, turpissimi veteratoris implacabili odio, in culina supra focum aliquamdiù suspensa, mox casu, & metu simul liberata, pedibus leuiter vstulatis, subiectum euasit incendium. Simulacris porrò infandis vicissim sæuiebat, ijs maximè, quæ fœminis vulgò terrorem afferunt: serpentem sæpè se præbebat, aut serpentum cadaueribus illam pulsabat: varia alia eius generis monstra flammis ex ore, ex naribus, ex oculis eiaculantia ostentabat: ita die quodam, cùm ad focum, marito ex morbo decumbenti, pannos calefaceret, anguis immanitate terribilis tetras ex faucibus flammas eructans occurrit, sesèque B. Mulieri toto corpore obuolutum circumplicauit, donec à custode Genio vitis sermento cæsus in frusta discerptus arceretur: cui alter momento leonis forma furibundus suffectus, pari cum infamia eadem ope fusus, ac fugatus abscessit. Quid illo naturæ furiato portento inuerecundius? quid impudentius? quid importunius? nihilo propterea castigatior molestus interuenire non destitit, imo eò processit, vt B. Franciscæ dorso, atque humeris petulanter, in terrificum draconem efformatus

formatus insilierit. neque impunè. armata vi inuictæ constantię muliercula ignominiosissimè apprehẽsum vexatorem manibus tenere, premere, stringere, præfocare propemodum, donec victus, & domitus, & pudore æterno suffusus euanesceret. Hîc nos abiectissimi spiritus immortaliter insolescentem arrogantiam elanguisse aliquando credamus? quomodo vnquam posset? redintegrata vesania, in Hydram septeno gutture hiantem, septenáque horrentem iuba conuersus, præter vanissimum terrorem, celerrimè diuini asseclæ præsentia extenuatus, aliud nihil intulit. Nihil siquidem illo abiectius, si illi, pede collato, fronte obuersa, opposito animo restiteris. Ille, cui nomina mille, mille nocendi artes, satis sua deformitate iam retectus, atque prostratus, ad nequitiæ, & damnatæ temeritatis cumulum, sese, vt glisceret impunius, Angeli luculenti ostentatione falsissima personatum obtexit, ab instituta vitæ ratione dimouere omni ope contendit; ne sibi mortem vltrò laboribus maturaret, admonuit. quid se enimuerò tantopere angeret? quam in spem se tot quotidianis malis excruciaret? quid vana superstitione tandem tam diù decertaret, quæ desperata, quæ deserta à Deo, quæ æterna definitione flammis damnata tartareis incassum ad omnia niteretur? ô admirabilem fœminæ fortitudinem! explosum, irrisum, conculcatum exterminauit. Anceps consilij præstigiator septem alios suos contenebriones ouicularum radioso quodam vellere micantes induxit; septem S. Spiritus dona esse ad eam edocendã submissa mentie-

batur. Abiecit, illusit. Hìc illæ ouiculæ statim in lupos commutatæ minas intentare pro blanditijs cęperunt. contempsit, illos in vestitu ouium reuera lupos rapaces recognouit. Spe illa deiectus syluestris hominis habitu, & colore pro S. Onufrio Abbate veterator irrepsit, heremum petere, quæ solitudine adeò delectaretur, accuratissimè persuasit. Spreuit, omni facetia perpotatum fugauit. Simiam se, scelerum omnium laternarius, consentanea profecto figura, præbuit; omnia domi euertit; libros, præsertim pios, hinc inde disiecit. Illa irrisit, elusit, cruciauit. Inter has turbas, si à domesticis accerseretur, aut se Dæmon oppidò proripiebat, aut illa factum opportuna excusatione simulabat; si de fragore plagarum, ac verberum sono, aut alio motu interim exaudito rogaretur, negabat, tacebat, aliò obuertebat. solenne auertendis hostibus subsidium, preculę illę iaculabiles, ex B Antonij, & D. Catarinę Senensis experiētia probatę, collectęque. Christe mi libera me. dulcissime Iesu serua me. Anima Christi corrobora me. magne Deus, attende ad me. Angele tuere me. Et quæ talia sunt valdè idonea semper in promptu. Itaque erraticos illos congerrones ita tandem spernere assueuerat, vt eluderet iam magis, quàm expugnaret; castigaret potiùs, quàm vinceret, imò passim virium infirmitatem illis, simulacrorum turpitudinem, ingenij nequitiam, conditionis vilitatem, audaciæ insolentiam exprobraret. Quæ maior obsecro vlla constantia in sancta muliere, quàm naturam vincere, contemnere fortunam, spernere aduersa,

ipsos ipsos truculentissimos humani generis æternos hostes non modò non pertimescere, verùm calcare, lassessere, prouocare? breuiter, cum sanctissimo martyre Ignatio Apostolorum discipulo, omnia tormenta, ipsiúsque diaboli cruciamenta contemnere? Ille enim ita extrema omnia, dum raperetur in vincula, prouocabat. *Ignis, crux, bestiæ, confractio ossium, membrorum diuisio, & totius corporis contritio, & tota tormenta diaboli in me veniant, tantum Christo fruar.* Quid tertium illud matronalis pudicitiæ certissimum munimẽtum, quo lasciuientis carnis petulantia arcetur, & quatitur, vitæ nimirum asperitas, quàm eminens in illa, quàm excelsum extitit? sine Cerere, & Baccho languere Venerem quidam sapienter Poëtarum cecinit, quæ fomenta libidinis si vti ligna foco, ita rebellanti corpori subtrahãtur, in tuto pudicitiam esse vsu iampridem expertum est, & comprobatum. Iam B. Francisca semper vnico pastu diem trahebat, non nescia quàm paruo natura contenta viueret: tum eius dicti memor B. Hieronymi, Christi sponsæ haud secus à vino, quã à veneno abstinendum esse: vinum, tota vita, gustauit nullũ; arte, & instituto magis abstemia, quàm naturæ odio. Romanis olim mulieribus, florente Republica, ita illo insidioso liquore interdici solitum accepimus, vt quotidie mariti osculum ab vxore caperent, vt ex vapore compotatio deprehenderetur, quam, in eo sexu, idcirco capitalem esse voluerunt, quòd raram cum pudicitia affinitatem habere arbitrarentur. Non vino modo igitur non vtebatur, sed piscibus, aut salsa-

S. Hieron. De script. Eccles.

3. Quàm seuera corporis castigatio.

ſamentis etiam abſtinebat: carnes perrarò, eáſque pauciſſimas, nec niſi ſumma neceſſitate coacta adhibebat. In morbo numquam oua, pullos, aut volatilia eiuſmodi eſculenta, multo minùs apozemata, aut vlla medicamenta admittebat, quanquam illa omnia promiſcuè ægrotis alijs apparabat. Saccharum, mel, dulciaria, bellaria, ſportellas, aromata, & illa alia gulæ, ac ſenſuum irritamenta non refugiebat ſolùm, ſed vſque ad ſtomachum exhorrebat. vulgare ipſius obſonium, lupini, herbulæ, legumina, mero ſale, ſine oleo, condita, fructus parcè admodum, & frugaliter attingebat: ac nullo guſtu quidem, quem longua, & conſtanti inedia ſic hebetauerat, corruperátque, vt dulciſſima quæque amara, atque inſipida duceret: æſtate, præ nimia virium imbecillitate, aut caloris intemperantia, veſpere pomum accipere, aut lactucæ aliquantum adiungere à rerum diuinarum magiſtro iubebatur. Mirum, atque inſolens. Ex tot, & tantis inedijs, nihil tamen in rebus agendis de alacritate, ac robore remittebat; quin ad omnia potiùs ſingularem quandam animi, corporíſque præſentiam vegeta ſemper, & infatigabilis afferebat. Lectulus ad hæc peranguſtus illi ad vſum erat, qui vix vnum commodè caperet, quamdiù à mariti ſocietate diuulſa ſeorſim viuebat; in quo ſedebat potiùs, aut leuiter corpore inflexo ſubnitebatur, quàm cubabat, & veſtita quidem ſemper ex lana, etiam interiùs, duas noctis circiter horas dormiebat: interdiù quieſcebat nunquam: atque in ſumma corpuſculum veluti inteſtinum hoſtem, ſanè omnium vt

intimum, & nobis implicatissimum, ita & periculosissimum suspectè semper, atque hostiliter perdomabat. Luctam spiritalem putares, vbi duo pugiles pressè pes pedi, vir virò adstricti, vsque eo se pugnis, & calcibus, & tota volutatione membrorum sursum versus agitant, dum dentes sub pugno crepuerint, altérque supplantatus, aut aperto, & crudo Marte deturbatus, solum, toto corpore prostrato, concusserit. Cæteram debellationem peruicacium membrorum difficile est ita me verbis exprimere, vti illa expressit exemplis. Laneam vestem, atque Cilicium nusquam ad mortem vsque deposuit. Carbasinis, lineisue pannis, ne ægrota quidem assueuit. Sub cilicio persæpè, cinctu equina iuba intexto stringebatur. Flagello senis funiculis intortis, senis ad funiculorum extrema calcariũ instar, stellulis propendentibus sese strenuè ad sanguinem diuerberabat. Horrebunt nostri delicatuli, cincinnatuli, ex Gebennensi Seplasia Epicuręi pulli, benè curata cute farciti, ventre propéso sesquipede admodum venerandi; qui discum audire, aut patinarum sonum, quàm sacrorum flagellorum crepitum malunt; adipales, manuleati, macellarijque Theologi; magis ad caulas, quàm ad scholas; ad patinas, quàm ad paginas, ad haras, quàm ad aras; ad rura, quàm ad iura; ad macella, quàm ad sacella; ad solum, quàm ad cælum nati, qui nunquam summum Apostolum sentire potuerunt, non quasi in incertum, aut quasi aërem verberantem, sed castigantem corpus suum, & in seruitutem animi redigentem, ne cùm prædicaret alijs,

ipſe diuina ſeueritate reprobatus damnaretur. At B. Fráciſca quadragintadiali ieiunio, ſolenni exrecordatione Chriſti ſeruatoris pro expiando humano genere tanta paſſi, quotidie ſe ad numerum, vti ſanctiori ſabbato ſingulis horis, eo voluntarij, Chriſtianíque ſupplicij genere excruciabat. Circulo prçterea ferreo, vt cum eodem Apoſtolo, adimpleret quæ deſunt paſſionum Chriſti, carnem non rarò ita premebat, vt longo liuore putreſceret, deſupérque ingeminatis flagrorum ictibus ingentem dolorem afferret. Iuſſit magiſter, cui ſe illa crediderat, circulum cum aculeato verbere abijcere, quòd illam durare, ſeſéque ſeruare cuperet; quę dicto audiens, illa ſuo ſanguine cruentata priùs probè lota, ne à cruoris maculis proderetur, illi in manus dedit extempore. Etiamnon hodie ea exquiſitæ religionis admiranda monilia, vnà cum veſtę cilicina, ad turrim ſpeculorum, ſumma veneratione aſſeruata monſtrantur. Atque ecce quò progreſſa erat ſolertiſſima rebellis corporis vlciſcendi cupiditas. Vaſculum ſibi ex demortui hominis cranio coaptauerat, quo tantulum id frigidæ, quod ſolebat, hauriret, vt vel potus voluptatem, victoria ex omnibus quæſita, præſenti horrore corrumperet, vel mortis recordationem aſſiduam ob oculos ſemper haberet. Triſte poculum illi vannotia poſtea furtim ſurripuit. Præter hæc, quot diebus, digitis in pugnum inuolutis, ſibi pectus ſexcéties ictu iterato pulſabat; vnde calloſum, & liuidum diuturna pulſatione euaſerat: tum ſi aliqua corporis alia parte peccauerat, pœnas quamprimum

repetebat, labémque præsenti supplicio expiabat. veluti si lingua, vt procliue est, labi sibi videretur, aut eam morsiunculis, ad cruorem vsque, vellicabat, aut prona proiecta in terram, os humi volutatum, sacræ vltionis studio, conterebat. Quæ ego curiosiùs annotata non eo perscripsi, vt matronis omnibus, præsertim nuptis imitanda proponerem (duram enim prouinciam delicato, & molli, & inerti generi imposuerim) satis fuerit ad id quod propositum habeo, si perdidicerint, illa secum animis pertractando, seriò saltem, & ex animo, de sua mollitie, atque innata ignauia erubescere. Quæ enim, obsecro, B. Francisca, à teneris diuino cultui penitus consecrata minora peccata commiserat, quàm istæ faciunt, vt carius cælum, tanta laceratione corporis mercaretur? In quibus valeat sanè illud Apostoli, *Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir; similiter autem, & vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier.* Ne vxor inconsulto marito vlla nouitate adducta extraordinarias corporis castigationes vllas aggrediatur, quin ductum in eo, atque ingenium sequatur viri, quæ pars viri est vna maxima, viro, & matrimonio deseruire teneatur, per me licet. nemo repugnat. ratio iubet. diuina scriptura loquitur. sapientissima mater Ecclesia stipulatur, quæ ad hos vsus etiam statis ieiunijs, sicubi opus est, facilè exoluit, vt fœtum ferant, vt nutriant, vt alia grauissima eius status onera perferant. At contrà luxu diffluere, omnia macella ad delicias impatienter excurrere, gulæ se mancipium facere, mariti labores, & ne-

gotiosa lucra decoquere, familiam suo abdomine fatigare, omnia allatranti stomacho indulgere, eum vnum curare, vngere, saginare, quis in muliere ferat, præsertim Christiana? ego verò sane id adulterio proximum duco. Aliæ, quibus fœmineo corpore virilis animus, & virtus inest, cuiusmodi plurimæ omnibus seculis, locis, gentibus, conditionibus reperiuntur, generosius quoddam vitæ institutum paruo negotio inire poterunt. Tu facile maritum inducas, vt mediocria, vt honesta, & visitata velit, colorem, inedia aliqua, absque cerussa, non incommodè emendabit. non te exiguæ corporis castigatiunculæ trucidabunt, saltando, tripudiando, vestiendo, excurrendo duriora interdum patieris. Te maritus, nisi insanit, macilentam malit, quàm petulantem: facilius extenuatam, quàm lasciuam, taciturnulam, quàm loquacem, abstemiam, quàm intemperantem, solitariã domi, quàm in triuijs, in circulis, in choreis adulteram, sacris assiduam, quam sceleribus vagam, & lenonum susurris adhinnientem feret. Possem nominare Principem in Gallia fœminam viuam, & superstitem, egregia forma, magnis opibus, tenera ætate, primaria nobilitate florentem, quæ eo virum armis, & ferro, & exquisitæ nobilitati natum pellexit, vt nec eam hispido cilicio aculeatam horresceret, nec se flagellis verberãtem auerteret, nec ad orãdum plurimas horas diù, ac noctu, summa hyeme, adulta æstate, nuda humo orationi, flexis genibus, immorantem interpellaret, imo ipse tandem singulis hebdomadis sacram synaxim adeuntem, vxoriarum

virtutum

virtutum iam æmulus sequeretur. *Nihil difficile amanti puto*, Cicero inquit. Addo ego, si placet, neque etiam assuescenti. Consequens igitur est vt in sextum nuptarum speculum, sedula cura, ad nostram speculorum turrim, secunda contignatione, sexto intercolumnio additum inspiciamus, qualem se videlicet erga supremum numen vxor omnium prædicatione laudanda gesserit: quod ego negotium omne tribus officiorum generibus expediuero. Nam vel voluntate Deum colimus, cùm amamus, vel intelligentia, cùm aut veluti præsentem in omnibus intuemur, aut interno cultu adoramus, aut assidua meditatione recolimus, aut grata memoria recordamur; vel externis sensibus, cùm eius sacra frequentamus, aut eum pia deprecatione lacessimus, aut alia exteriùs, ad ipsius cultū interiorem inter homines protestandum, factitamus. Membra flagellis coërcere, corpus inedijs extenuare, mulieres ne adducantur excusationem habere poterunt, vel virium, quòd nequeant, vel virorum, quòd prohibeant; vel socordiæ, quòd non soleant, vel negotiorum familiarium, quòd impediant; vel sodalium, quòd irrideant: Deum verò perfectè diligere, Deum colere, Deum cogitare, Deum interiùs adorare, nec vlla obstare infirmitas, nec vir vllus, nisi amens, interdicere, nec vlla inertia refugere, nec vlla occupatio impedire, nec vlla vesania interturbare vnquam valent, si ipsæ volent. B. Francisca, si de amore dicendum est, tanto diuini amoris flagrabat incendio, nihil vt vellet, nihil amaret, nihil respiraret pręterea: cor illi

Cicer. in orat.

VI. ERGA DEVM QVALEM *se præstiterit.*

1. Amor in Deum.

suum penetrale sic addixerat, vt non illa viuere, sed Christus in eà vegetare, sentire, intelligere, & velle videretur, atque iam cum Apostolo diceret, *viuo autem, iam non ego, viuit vero in me Christus;* Iam cum alia sponsa caneret. *Ego dormio, & cor meum vigilat.* Quippe, ipsius sẽsibus ad res humanas omnino sopitis, mortuisque, solus ille in illius pectore vigilabat, viuebatque, quem ex Salomonis Rabbini interpretatione corculum suum non immeritò appellabat; Iam illud suauissimè prægustabat, *Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi inter vbera mea commorabitur:* nempe Theodoretus inquit, *in præcipua animæ meæ parte, scilicet in corde, quod inter vbera collocatum est.* Iam ad extremum cum magno Cypriano in illud erumperet. *Dico igitur Domino meo, Deus meus es tu, & dicit mihi dominus meus, ego Dominus Deus tuus, homo cuius Deus est quid amplius quærit? si sufficis tu Deo, sufficiat tibi Deus.* Quadam visione cælitus collustrata iussa est versare semper animo supremum amorẽ, quo inde ab æternitate nos Deus benignissim⁹, & liberalissimus dilexisset, eóque potissimum dilexisset, vt ignominiosissimæ patibulo crucis mortem non dedignaretur oppetere, quo posset mortalis homo vnà cum Deo æterna illa vita viuere: quo ex tempore, nunquam intermisit quoties oraret, quoties de cælo, de Deo, de rebus diuinis alijs cogitaret, sponsum cælestem ardẽter orare, vt ne se vnquam à suo amore diuelli permitteret, sine quo vita illi acerba, & intolerabilis, extremíque supplicij quàm simillima, cum illo deliciosissima, atque iucundissima viueretur. Hinc

Gal. 2.
Cant 5.
Cant. 1.
Theodor. in Cant.
B. Cypri. sermon. de Assumpt.

erumpente foras incendio, sua conflagratione incendere mortales omnes cupiebat; indolescebátque medullitus illius animæ deplorandã sanguineis lacrimis infelicitatem, quæ Deum toto pectore minimè arderet, à quo ipsa, cæteríque homines sempiterno amore præuenti, ad eum redamandum, æterna obligatione anticipati beneficij, impellerentur. Nam quæ illud dicebat, sentiebátque. *Qui non amat Dominum nostrum Iesum Christum sit anathema, maranatha*, crebris quoque sermonibus vsurpare solebat, qui Deum tota animi contentione non diligerent, Cimmerijs plusquàm tenebris circumfusos, Andabatarum more, quadam magis insania, quàm ratione ferri, rotaríque; omni motu flexibiles, omni leuissima aura versatiles circumferri, sicut inanem glumam, aut puluerem, quẽ proijcit ventus à facie terræ; neque in re vlla magis consistere, quàm elementa, aut mixta videmus, dum suis quæque locis insederint; illud enim, vt alia omnia præclarè à B. Augustino dictum esse inquietum cor nostrum esse oporterẽ, donec in Deo, veluti centro suo conquiesceret. Cuius præterea illa certè sunt scripta præclarè; *Da mihi te Deus meus, redde mihi te: en amo, & si parum est, amem validiùs, & currat vita mea in amplexus tuos. Hoc scio quia malè mihi est præter te, non solũ extra me, sed & in meipso, & omnis copia, quę Deus meus non est, egestas.* Atque quãdo diuini fornacẽ amoris Deus optim⁹, ad sacrum diuini holocausti altarẽ succendit, veluti in veteri illa holocausti Mosaici ara cælestis ignis semper ardebat, cuius ardentes prunæ, ex quorundã doctiorũ

1.Cor.16.

Psalm.1.

B.Aug. in Confess.

ſententia, B. etiam Hieronymo id ſuſpicante, in car-
Eſai. 6. bunculos conuerterentur (qualem eum fuiſſe oportet, quo Eſaiæ Prophetæ Seraphinus, cùm eum ex eo altari forcipe abſtuliſſet, labra expiauerat) ad illud ſacramentum imprimis ſe inflammata Franciſca torrebat. Ibi toto corpore, nedum animo, liquefacta penitus deflagrabat; ibi ſe dulciſſimo ſponſo ineffabili cõnexione glorioſiſſimi corporis commiſcebat: liceat nãque mihi limpidiſſimum illud, atque aureum Chriſtianæ eloquentiæ flumen Chryſoſtomum, ita ſuo aureo ore fluentem huc deriuare, cuius illa mirè mihi animum ſenſu cuiuſdam incredibilis voluptatis afficiunt. *Ardenter amantium eſt, vt velint ſua corpora caſtè copulari inuicem, & figere oſcula; ita hoc ſacramento oſcula Chriſto figimus, & corpus corpori copulamus*: quod ne ſemel aliud cogitans magis effudiſſe, quàm inculcaſſe ex animo videretur, *vt itaque*, inquit, *non tantum per charitatem hoc fiamus, verùm & ipſa re, in illam miſceamur carnem, hoc per eſcam efficitur, quam largitus eſt nobis, volens oſtendere deſiderium, quod erga nos habet, propterea ſemetipſum nobis immiſcuit, & corpus ſuum in nos contemperauit, vt vnum quid efficiamur; ardenter enim amantium hoc eſt.* Quo eodem loco illa maximè ad rem eodem ipſo ardore incenſus exaggerat, *Tanquam leones igitur ignem ſpirantes ab illa menſa recedamus facti diabolo terribiles, & caput noſtrum mente reuoluentes, & charitatem, quam nobis exhibuit.* Huc tota ſeſe noſtra Beata, veluti in altaris holocauſti craticulam torrendam applicabat, vbi in pretioſum carbunculum diuini amoris continuo defla-

Hom. 24. in 1. Cor.

Hom. 61. ad popul.

grantis conuertebatur. Adibat, vt minimum, semel in hebdomade: quædam eius familiares fœminæ in actis tradiderunt bis etiam mercurij diebus, & sabbati saltem confessione peccata expiare solitam. At quæ diuina eloquentia satis extollat, quanta, quàm inexplicabili, quàm infinita voluptate, puritateque hocce amoris infiniti sacramentum, augustissimam, inquam, Eucharistiam frequentaret? acciperet? exosculaietur? equidem nunquam absque lachrymis, veluti ex vapo-rario, flamma subiecta, distillantibus; imò ita in sponsum absorbebatur, ita illius præsentia diffluebat, vt communissimè auulsa à sensibus extra se ipsa asportata raperetur, atque tam suauem inusitati odoris fragrantiam, eo loco, vbi sacramentum acceperat, exhalaret, vt qui præsentes aderant, tam hyberno, quàm verno, aut æstiuo tempore, locum recentibus rosis, & lilijs, & omni florum varietate de industria stratum, ornatumque crederent, quasi illa suis oculis tum, ex Cantico multo ante suauissimè decantata, in B. Francisca experirentur *Introduxit me Rex in Cellam vinariam, ordinauit in me charitatẽ* (aut vt doctiores malũt) *vexillum eius super me amor*; *fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo.* Ex eo sensu, quem ex illo musto diuinorum vberum scilicet humanitatis, diuinitatisque, æterno communis hypostasis in Eucharistia vinculo, connexarum sopita, & sensibus ebria capiebat, à sacrarum ædium altaribus auelli vix poterat, quantum per viri obedientiam, aut domesticarum rerum otium liceret, inter quæ illa templa maximè frequentabat, SS. Petri,

Paulique præcipuè; Aræ cœli, S. Mariæ Transtyberinæ, S. Cæciliæ, S. Mariæ nouæ. Tantùm porro, sapore quodam diuini sacramenti profecerat, vt inibi seruatoris Christi præsentiam sensibus hisce corporeis, paucis Sanctorum concessa sagacitate, sensili quadam, & longua experientia deprehenderet. Ad D. Cæciliæ cum sua vannotia ad rem diuinam profecta, in sacrilegum sacerdotem incidit aliquando, qui cùm haud satis probaret primarias, ex isto præsertim genere nuptarum, opulentásque mulieres tam frequenter augustam adire synaxim, statuit, impulsu tetri cuiuspiam cacodæmonis, vtrique, pro Eucharistia consecrata, profanum panem, infectumque tradere: verùm Beatam nequaquam fefellit: illa, an quòd excellentem illũ animi saporem non perciperet, an quòd perspicacitate mentis collustratę, sponsum absentem agnosceret, scelestissimi hominis fraudem execrabilem deprehendit. Rem extemplo, ingenti doloris sensu, Antonio à Monte Sabellio, quo ad confessiones faciendas vtebatur, exposuit. Festinat Antonius rem à sacerdote perquirere; ille sudare, trepidare, pallere, fateri facinus admissum, veniam denique tentati flagitii, atque silentium efflagitare. Memoriam habeo, in re simili, B. Alziarium Comitem Sabranensem, cuius ante meminimus, cùm Parisijs in Regio comitatu sacerdotem diuino instinctu recognouisset cæleste viaticum, vt putabatur, ad moribundum argentea theca circumferentem, eadem infanda perfidia, pro confecta Eucharistia, vulgarem panem accepisse, Rege, & Prin-

In Bulla Canonizationis.

cipibus,ad exhibendam ſacroſancto geſtamini reuerentiam,ſeſe componentibus, ipſum ne caput quidem, vultu in contrarium verſo, retexiſſe, ac rei inſolentia commotum Regem cauſam cur minimè ſacramento venerabundus accideret,petijſſe; tum aperuiſſe quod ſuberat Alziarium;accitum præſbyterum faſſum fuiſſe, qui ſacratam hoſtiam, ex quadam incuria, non haberet ad manum, aliam quæ prima ſe dediſſet, tumultuariè deportaſſe, ne ſi fateretur incuriam, moribundum vltimam viatici opem implorantem offenderet. B. Ludouicum Regum noſtrorum miraculum non raro templorum adyta,inſalutato, quod aliàs nũquam conſueuerat, ſanctiſſimo ſacramento, etiam accenſis ante, appenſiſque lampadibus, præterire ſolitũ legimus, quòd perſentiſceret ſacramentum tum eſſe nullum, idque ita fuiſſe ſemper, quoties inſalutatum prætermiſerat, compertum fuiſſe. Enimuerò veluti Ionathæ, melle deguſtato,& diſcipulis ad Emauntem ſacramẽto refectis oculos adapertos antiqua recenſet hiſtoria, non aliter ſanctis mellitiſſima cæleſtium deliciarum menſa epulantibus internus adſpectus ad illa arcana ſpectanda reſeratur. Hæ itaque ſunt matronæ ſanctiſſimæ connubiales illecebræ, hæc æternæ veluti in ſponſum caritatis, Angelicíque conuiuij antecænia. Quid reliquum eſt niſi, vt quæ tam inflammato ardore ſponſum deperiret, tota cogitatione in illum continuo defixa langueſceret?alia,prçter eum, omnia faſtidiret? Darij vxorem integerrimam fœminam Reginam Perſarum veteres tradiderunt, poſtquàm ma-

2. Rerum Diuinarũ aßidua meditatio

ritus ad epulas clarissimos, ac pulcherrimos quosque è curia proceres inuitasset, cui illa quoque conuiuio intererat, sublatis mensis, dilapsísque conuiuis, à Rege interrogatam, quisnam ex lectissima nobilitate venustior, quis gratior, quis cultior, comptiórque fuisset visus, se nescire præcisè respondisse; causam iterum afferre iussam, addidisse denique, quòd in solum maritum intenta, quem solum amaret, solum cordi haberet, solum formosum esse duceret, se aliorum notasse, aut vidisse neminem. Dictum de Barbara fœmina, verum de B. Francisca, ac mirum, quàm vnicè Christum, cui se totam, penitúsque deuouerat, veneraretur, ac totum quodammodo mente, amore, ipsis propemodum oculis hauriret. In quo quam nos aliam familiaritatem, quam venerationem maiorem, quæ dulciora alloquia intelligamus, quàm assiduum studium orandi, meditandi, contéplandi, legendi, sacra omnia tum ore, tum mente tractandi? Hæc semotiori se gynæcęo, à reliqua negotiorum strepentium turba identidem secernebat: hæc nugarum obmurmurantium, vestemque carneam succutiétium cateruam, cum SS. Augustino, atque Bernardo, ad fores interea sistere imperabat: hæc se ipsa in sese (ne sese quæreret extra) quærebat, reperiebátque; hæc primi momenti negotium, quod salutem attingit, remotis arbitris, solo disceptatore, & cognitore, & arbitro numine, pertractabat. Quo segregato feriatæ animę diuerticulo non contenta, domi recessum oratorium sibi in hortulo arcanum, speluçæ instar, sub vmbrifera arbore Cydonia

pomo

pomo adornauerat, quò subinde ad secretiora captãda cum sponso colloquia secedebat, neque inconsideratè prætereundum profecto est, quod illi eo loco aliquando accidit, commemorando recordari. Eò comite vannotia aliquando diuertetat, ne ad grauidam in vicinia parturientem, Romanarum mulierum more, accurrere familiari inuitamento cogeretur; optimum factu rata interim, cum dulcissima socia recogitare quàm arduum esset in tanta varietate, & perturbatione domesticarum, vrbanarúmque in communi vita occupationum Deo perfectè, & ex animo inseruire. Qua ex sermocinatione sensim vtrique gliscere animo sacra cupiditas nonnulla cæperat in remotam quampiam solitudinem conuolare, vbi expeditius illis, tutiúsque in meliorem eam partem, quæ porrò vna necessaria est, liceret incumbere. Mensis tum Aprilis adolescebat, atque ecce è cælo testimonium, illam secessionem superis cordi fuisse. Ex Cydonia arbore, pira, intempestiuo & trunco, & tempore, benè bona, & matura, ac probata decidunt. Mirantur attonitæ, ne veteratoris hostis astutia nonnulla subsit primò subueritæ paulum hærescunt; tum vnum explorant, nihil fraudis inueniunt; planè natiui esse, germaníque saporis agnoscunt; authori munerum Deo grates ex animo ambæ rependunt, qui nec ingratam suæ Majestati illam à rebus inutilibus digressiunculam præsenti indicio testaretur, illásque magis in dies ad rerum humanarum, suíque despicientiam exstimularet. Reliqua pira maritis, ad eorum quoque

fiduciam exsuscitandam deferunt, vtrinque gratulationes, & supremæ bonitatis encomia decantantur. Verùm inter omnia incredibile dictu est, quàm quotidiana acerbissimorum Christi cruciatuum meditatione interiùs eius aleretur, & recrearetur animus, incenderetúrque quotidie, vt consimile aliquid ipsius amore experiretur; ex quo singulari quodam priuilegio consecuta erat, vt quoties de illa horribili membrorum Christi carnificina cogitaret, ipsa dolores ijsdem in partibus sui corporis adeo vehementes, asperósque sentiret, vt tum è vestigio moritura facilè existimaretur: quemadmodum B. Collettæ virgini S. Claræ concessum fuisse accepimus, vt hora sexta diei veneris Sanctioris hebdomadæ, qua hora Christus in cruce decesserat, mirabiles quasdam angustias persensisse, sic vt illius lateri plaga, Christi vulneri lancea transuerberati, quàm simillima obtigerit, vnde tanta aquæ copia, nouo quodam supplicij genere, cum dolore maximo distillabat, vt panniculis humorem sistere perpetuò manantem, passimque panniculos alijs alios sufficere necesse esset. Etiam B. Claram illam aliã Montisfalconis, mirabile dictu, audituque! adeo intentam Christi cruciamenta patientis versare animo consueuisse memoriæ tradiderunt, vt in defunctę medio corde, exsectis visceribus, omnia illa salutaria assertæ humanæ salutis insignia, crux, lancea, spongia, corona, claui, & reliqua, impressa, sculptáque inuenirentur, quæ ibidem etiamnon hodie religiosè culta, exhiberíque populo solita conseruantur. Illa interna,

hæc magis externa, quæ ego dicam; quanquam ex ea veluti scaturigine, iisque scatebris interioribus, ista exteriora emanabant. Piorum codicum lectione supra modum capiebatur, insitámque muliebri ingenio fructuosè, & iucundè, & nullo periculo pascebat curiositatem: Deum illic loquentem, atque intimè sua arcana insusurrantem audiebat: quo quia nihil infestius cacodæmoni, præsertim in molli, atque otiosa fœmina esse potest, quá desidia magis perdere, quàm aperto marte consueuit, quemadmodum Annibalem Romani, Capuanis magis delicijs, quàm instructis exercitibus debellarunt; ideò sæpe importunissimus interpellator solebat, exiguam illam libellorum supellectilem, simiæ forma spectatus, abripere, spargere, lacerare, donec secum maximè quos pluris faciebat gestare ipsa statuit, quo & insidiosi hostis inuidiam elusit, & illud opis semper ad manum, quocunque incederet, deinceps habuit. Quoad vocales, quas vocant precationes, constat totis quadraginta annis, rituale Deiparę matris officium, nunquam intermisso studio, recitasse, vnà cum quibusdam alijs statis, ac certis orationibus, quæ vno libello horario continẽtur, qui hodiè sedulo cultus, non sine admiratione, & singulari quodam sensu maximę pietatis, ostenditur ad Turrim speculorum. Id non in templo solùm, sed domi, sed foris, ruri, in vrbe, & loco quocunque, vbi sese opportunitas daret, vbique tamẽ genibus flexis, aptáque cõpositione mentis, & corporis, recitabat: argumento superstitiosis mulieribus, quæ nusquam se orasse con-

Alia exteriora pietatis in Deũ exercitia.

fidút, nisi in templis pernoctauerint, vt si templorum commoditas, aut præ negotijs, aut alia causa defuerit, Deum vbique præsentem veneratæ, si quod quotidianum precarium pensum destinauerint, vbiuis locorum reuerenter exoluant. Mense Septembri, anno M. CCCC. XXXVIII. ad consuetam vineam, extra muros, versus ędem Apostoli Pauli, cum aliquot alijs instituti, exemplíque sui mulierculis, profecta, dum alijs aliò alia de causa dilapsis, ipsa iam inambulans oraret, iam quotidianum virginis parthenium diarium genuflexo redderet, ecce ex insperato, profuso nimbo, largissimo imbre præcipitante, omnes ex cælesti eluuione madefactæ comites stillare vndique, & perpluere cœperunt: solam Magistram ne gutta quidem pluuialis attingere ausa inoffensam præteriuit. Ita B. Antonio Patauino ad populum, sud dio, dum aquis pluuijs maderent omnia, verba faciente, nihil auditorium immaduisse; ita B. Bernardum ad Robertum, ex ordine Cluniacensi solútiore, quò trans-fugerat, ad Cisterciensem, literis libero campo, cælóque rescriptis, reuocantem, imbre illotum, atque intactum, pluuia circum vndique inundante, memoria tenemus. Voluit ea significatione Deus ostendere, quā charas, gratásque famulæ preces acciperet, quamuis in vinea profano loco persolutas: tamen vbi facultas esset, præcipuo quodam, & indefesso proposito, sacra loca obire non cessabat: qua parte pietatis, non habeo dicere, vtrum plus illi molestiæ Dæmon, an opis, atque solatij præsens vbique ipsius votis numen attulerit.

Ad SS. Petri. Pauliq́ue ſolenni feſtæ dedicationis die, vna cum indiuidua comite viam parabat: hîc ille ſanguinarius inſidiator comitem vannotiam per ſcalarum gradus deturbatam, corpore propemodum cõminuto, diſiecit; accurrit Frãciſca, procũbit in genua, valetudinẽ, vitámque fidæ ſuæ comiti comprecatur. Faſſus eſt ſceleſtus carnifex, ictu eo capitali, vannotiã emori exanimatam debuiſſe, ni ſua opportuna ope collapſam Franciſcæ Archangelus ſubleuaſſet. Haud minore periculo ipſa exempta aliàs, æſtate iam adulta, fuit, dum ſalubrium veniarum promerendarum ſtudio, ad D. Petri, cum alia quadam ſocia contenderet. Ambę in itinere acerrimis æſtibus ad moleſtam ſitim adductæ, refrigerandi corporis cauſa, in Tiberim leui declinatione deſcenderant. Cæterùm dum incautè in lubrica ripa progrediuntur, cæcos delatæ in gurgites, iamque vorticibus præropidi amnis hauſtæ, obluctanti flumine, per vndas ſeſe mutuò, conſertis brachijs, complexæ magno interuallo raptantur, dum ad extremum, Sanctam Cicur, atque edomitus Tiberis veneratus, vtrámque tranquillo profluuio ſanam, & incolumem in opportuna ripa reſtituit. Illæ hærentes periculi pariter, & miraculi ſtupore aliquantiſper attonitæ, inde vt primum ex pauore animum recéperunt, cæleſte beneficium venerabundæ, procumbentes in genua, numiníſque liberatricem clementiam impenſè ſalutantes, grates laudibus miſcent, ſacram ædem adeunt, Principem Apoſtolum prædicant; miraculum recognoſcunt; eidémque poteſtati acceptũ

referunt, quæ olim Petrum tumidissimi pelagi vada calcantem, stantem in lubrico, hærentem in salo, tutum in procella, securum in fluctibus, tenuisset. Hæc summa huius narrationis. Nihil in mente, nihil in corpore Sãctę inerat, quod summã pietatẽ vndique non redoleret: linguam diuinis affatibus, oculos lectione librorum, auditum sacris concionibus, manum religiosis operibus, gressum, omniúmque compagem, molémque membrorum quotidianis maximarum rerum exercitationibus, & peregrinatiunculis exercebat. Thomas, ex Augustissimo Prędicatorum fratrum ordine, vir clarissimus, cui, totis viginti annis, cũ Beata rerum spiritualium pertractandarum maximã fuerat necessitudo, sanctè, iuratéque testatus est, se neminem hominem in vita aut vidisse, aut audiuisse, aut adijsse aliquando, in quo tanta, tam assidua, tam constans, tam inuariabilis pietas appâreret: quinetiam, ex illius diuturna consuetudine, se eam virtutum accessionem fecisse, eúmque gratissimum fructum magnæ vtilitatis percepisse, quem, ex persona quapiam Angelica, potuisset. vsque adeò illa tria cumprimis, charitas, sui despicientia, pietas, quidquid aggrederetur, quidquid ageret, quocunque se verteret, elucebant. Verum mulierum religiones, vt plurimum, quia curiosæ, in superstitionem degenerant, quia verò sui sensus retinentes sunt, infirmæ tamen, atque indociles, in scrupulorum, quos vocant inanem inquietamq́ue, molestiam facile prolabuntur. *Simul autem & otiosæ*, inquit Apostolus, *discunt circuire domos, non solùm otiosæ, sed &*

1. Tim. 5.

verbosæ, & curiosæ, loquentes quæ non oportet. Hinc enim, opinor, est, quòd in maleficorum genere, ferè solas mulierculas comprehendi videmus. Hos Beata fœmina scopulos, totius declinatione corporis, non secus ac quasdam pietatis Christianæ Symplegadas, euitauit. Hanc mordacissimam animæ lanienam sic refugiebat, sic ab alijs depellebat, vt diceret haud secus, quàm pestem ab ijs auersandam, qui sanctiorem vitæ rationem aggrederentur; siquidem eos nullam quietis partem habituros, nihil boni vnquam, eo statu perturbatæ mentis, suscepturos, gustum ex bonis operibus percepturos nullum: nosse enim Dæmonē, haud alia arte magis, omnem quamlibet piam viuendi institutionem vel adulterari, vel penitus tandem abrumpi; subdolum hostem omnis pietatis hoc vnicè attendere, vt huiusmodi scrupulosis aculeis lancinet, ac fodicet pectus, quòd expedito eo compendio consequatur, si stimûlatam mentem aut suscepti religiosi negotij pœniteat, aut sperato sapore destitutam nausea fatiget, aut inutili contentione lassatam opprimat, aut denique hærentem ad singula, nec tutò vestigium figere audentem, ipsa perplexa sollicitudine veluti labyrintho conclusam in deuia quæque circumagat, vnde se expedire non possit. hoc fallaces nutriculæ faciunt, quæ absyntho, vel synapi papillas illinunt, vt à puro lacte pueros lactentes auertant; hoc qui iniquo loco decertant, qui armorum, solisúe fulgorem in pupillam hostilis exercitus obuertunt, aut tormentorum, & scloporum iniecto fumo, opportuna captatione

ventorum, ea veluti glaucoma ob oculos obiecta, hostē infuscant: hoc denique qui præstigijs & maleficio mentem infatuant, ne sibi videre quod videt homo videatur, sæpiúsque incerta, & fucata, quàm vera, & certa assequatur, dum anceps, ac dubius, inter vtrumque, hærendo vacillat. Curiosa autem ad vltimum nemo vnquam, tam deliberato proposito quàm B. Francisca damnauit. documēto est quòd damnatæ lectionis, & artis veneficorum, maleficorum, ac sagarum libellos, tum ipsos libellorum authores, non aliter, quā inquinatissimum ipsum nefandarum artium nundinatorem, tenebrarum Principem perhorrescebat. Quotcūque eius farinæ volumina eo inexpiabili scelere deprauata vel fortuito reperire, vel arte alijs, clam, aut precariò, ioculari, aut seria, occulta, an aperta vi, extorquere poterat, omnia protinus inflammabat: quod, ex primæuæ Catholicę Ecclesię Christianis, *Actor. 19.* multos fecisse legimus. *Ex eis, qui fuerant curiosa sectati*: hoc est, ex doctiorum interpretum explicatione, scelerarę Astrologię monimenta. Neque sanè silentio pretereundum est illud quoddam in B. Francisca memorabile. Vìxdum inito matrimonio, in mariti Laurentij manum, familiámque conuenerat, quando in periculosum satis morbū incidit, qui illi supremus, ac lethalis à Medicis iudicaretur: iámque exigua in spe trahebat animam, cùm nihil cunctata strigosa quędā, atque edentula è sagarum numero, se vltrò ingerit anus, quę se depulsuram è vestigio ęgritudinem, (esset modo dictis fides) pollicetur: at pia, & sancta fœmina,

quę

quæ flocci corporis ſanitatem, præ animi valetudine, faciebat, execratam vetulam omni ſeueritate verborum, totiuſque vultus conformatione cenſoria, caſtigatam, dein ſeriò de diabolica nundinatione abiudicanda commonitam, properatò ſeſe ſuo tecto proripere, proculque faceſſere imperat. atque generoſæ matronæ conſtantiam extempore profusè diuina benignitas remuneratrix præſenti cũ fœnore, compẽſauit. Saga ſummota, religionẽ illi animo Deus indidit B. Alexij ſui popularis, valetudini recuperãdæ, tot aliàs certis euentibus expertum auxilium implorare. Fecit quod monebatur intetius, nec tam ore, quàm pectore. Neque in caſſum miſſæ preces. Conſequẽti nocte intempeſta, ſomnum inter, & vigiliam, B Alexius repentè cælo delapſus ſe illi obtulit, cubiculum omne clariſſima luce compleuit; mox benigno vultu, bono animo eſſe iubet: macte virtute, inquit, filia, en vocatus adſum, præſentem tibi opem affero; ac ne vel dubia fides, vel veteratoris hoſtis inſidiæ ſubeſſe credantur, tua ex longinquo morbo ſubita valetudo miraculi fidem faciet. Hæc effatus ſuperiorem amictum, quem vulgò illa induebat, ægræ imponit, euigilare eam, & ſtare præcipit; mox ſublimis in cælum abit, vnde deſcenderat, cæleſti quodam odore relicto in cubiculo. Id verò non ludibrium ſopitæ, aut morbo implicatæ phantaſiæ, ſed veram ſpeciẽ fuiſſe rei demonſtrauit euentus Illa repentè, pauori mixta lætitia, experrecta, tota ſudore fluere cæpit, depulſaque repentè febri, valens, & vegeta ſurgit è lectulo, non magis re-

cepto munere, quàm B. Alexio ſpectato, læta ſubmittit genua, & oculos pariter, manuſque ad ſydera ſuſtollens Deo opt. pro accepto beneficio, multiplices grates agere occupat: inde ſimul illuxit, ex more veſtita præ gaudio geſtiens cognatam vannotiam conuenit ſub eodem tecto dormientem, cui ex abrupto, euigila, ſurge, mea vannotia, inquit, tune me ex ſemimortua ſanam aſpicis? ad Beati Alexij reliquias piaculares nobis oppidò adeundum: tu expergiſcere, induere, nec ſit mora. eius ego mentis, precibúſque ſanata prodeo in publicum. Obſtupefacta repentino viſo vannotia vix vera eſſe credit, quæ oculis videt, ac dubia, ne pro cognata ſpectrum adſpiceret, túne es Franciſca, quam conſpicor, inquit, ô delicium meum? ego verò, Franciſca inquit, feſtina, Fráciſcam vides, ego vannotiam te appello. Impigræ dictum. exilit. accurrunt ex vicinia aliæ, vulgatur miraculum, itur ad B. Alexij ad montem Auentinum, vbi ædes illi ſacra eadem parte, qua ſub paternarum ſcalarum gradibus, quę ibi proſtant adhuc, tot annos ignotus, nouo miraculi genere, vitam exegerat. Actæ numini gratiæ immortales, tum ſoſpiti ſancto votum exolutum, vitáque de cætero diuino cultui in perpetuum, redintegrato voto, obſtricta, dedicatáque. Hactenus Chriſtiani cõnubij, vereor vt magis ad admirãdum, quàm ad imitãdum, expoſita documenta: quãquam etiam quod facilè æmulentur ſollicitæ, albęque illæ animæ habere poſſunt. Amabunt ſaltem, ſi aliud non poterunt. Volaticus eſt, & præpes amor: mo-

mento ſuper aſtra tranſcendit: vinciri, includi, eneruari, laſſari non poteſt. Hîc vigeat maximè, ſi nequit in cæteris; hîc regnet, hîc ſeſe audacter efferat pietas matronalis. Deinde, ſi accuratæ contemplationi rerum maximarum aut mentis tarditas, aut ſolitudinis impatientia, aut negotiorum perturbatio officit, quid obſtare poterit, quo minùs horulæ ſextantē, quadrãtemúe, ſub veſperam, ad recogitandas diei exacti labeculas, ſuffurentur? an genu vbiuis muliebriter, ne viro quidem aduertente, ſubmiſſo; an ſtando, an ambulando, an ſedendo, an ad ſomnum itando, vt Vlyſſææ Penelòpes imitatione, ſerò retexant, quod diù vitioſè contexuerint, eoque pacto ad repentinos obitus, qui non rarò noctu incidunt, ſeſe comparent? ſi ſacram Euchariſtiam vſurpare, octonis diebus interiectis, vel per viri voluntatem non licet, vel per inertiam nimiũ videtur; at ſemel, iterúmque, quot menſibus, quid impedire in Chriſtiana fœmina tantum, tamque humanum poteſt? Id modo cauendum, ne temerè, aut importune maritis, ſolutioris exempli præſertim, obſtrepatur, neu domeſtica cura idcirco flacceſcant, nam & B. Franciſcam literis traditum eſt ſumma dexteritate, celeritatéque officio familiari, de induſtria, perfunctam, quod ſupereſſet reliquum temporis, pietati impendere conſueuiſſe. Ingenij pretium erit ita ſe viro, itaque virum ſibi attemperare vt, nec illo admodum inuito, aliquid velis, nec ille tibi iuſta petenti facilè obſit. quod facile factu eſt, ſi moderata, ſi opportuna, ſi conſentanea, ſi omnibus prouiſa circun-

ſtantijs poſtules. Porrò quotidie tremendæ liturgiæ intereſſe (quod ego Chriſtianę genus occupationis in maximis optimum, & fructuoſiſſimum, & facillimum duco) vocales vero deſtinatas aliquot precatiunculas exoluere, ſin minus in templo integrũ, at domi, in viridario, in hortulo, in agro expeditum eſſe, pios demũm libellos, bene moratæ pabulum, ac dulce epulum animæ, frequenter terere, an deſignatis, ac ſubciſiuis, an fortuitis, & tumultuarijs horis, quæ vlla tanta mariti fanatici, tamq́ue inſana moroſitas prohibere; quæ vllius mulieris tanta ſocordia refugere poteſt? Chriſtianas, & pudicas, & cordatas alloquor, quæ nõ omnia in otio, non in thalamo, non in lucro, non in delicijs, non in languida illa belluarum, aut Epicuræorum Sybaritica vita omnia repoſita eſſe arbitrentur. Veruntamen hinc ſuperſtitionem, vti voracem, ac rapacem Scyllam, illinc ſcrupuloſæ conſciẽtię latratum, velut Charybdim effugiant. Pro ſcrupulis hoc primum, hoc vltimum, hoc ſummum, hoc vnum in pręceptis, ne ſui capitis, neu ſuæ frontis eſſe, ne nimis excelſa appetere, ne de ſe ſuperbè ſentire, vno verbo, expertæ ſcientiæ magiſtros ad vnguem audire, ac ſequi velint. Superſtitiones porrò nullo negotio amputabunt, ſi ſe verè pias, ſi Chriſtianas, ſi piorum libellorum auidas, ſi nouitatum, & ingenitæ curioſitatis inimicas, ſi ſimplicitate Catholica quadam ingenuas, candidaſq́ue, ſi Dei, ſi ſuperũm, ſi germanæ religionis perfectè amantes exhibuerint. Iam quando è ſcopuloſis cotibus enauigaſſe videtur oratio mea, nobiſ-

quę tãdem gemina virginitatis, atque coniugij erecta, ad solarium vsque, substructio est, iam expeditus ad cætera cursus ostenditur.

ERGO Tertiam Contabulationem cõsequitur, vt ad fastigiũ perfectę viduitatis, extrema operis manu, sustollamus. Materiã Platanus, & Terebinthus, & Palma structuræ subministrabunt. Nam Platanus viriditate potius, & latitudine frondium, vnde & Gręcum nomen hausisse videtur, ad opacandum patulis diffusa ramis, quàm pomifero prouentu laudatur: humidioribus gaudet adnasci locis, eo frõdescit magis, quo amputatur magis, quo ingenio, viduarum statum lacrymabilem, & prole infœcundum, &, humani amputatione solatij, magis virẽtem Platanus iuxta aquas repręsentat. Tum Terebynthus, quæ fruticosa, quæ amaræ prouentu resinæ acerba, quæ nigra baccis, lignoq́ue; depressione, & colore, & sapore, vidualem obscuritatem commodè exhibet: melius Palma, ea parte, qua terram attingit nodosa, deformis, aspera, angusta, qua cælum prospectat, venusta, virescens, & iucundè frondosa, expansaq́ue; quam in certaminibus item signum esse placuit victoriæ, quòd vrgentibus, Plutarchus inquit, opprimentibusq́ue non cedat, ipsáque adeo foliorum specie gladium referat. Iam Eucarpi multiplici earum arborum fronde contexti, baccis plurium generum pendulis, immixtisq́ue, aptissimè rostris Turturum subnectuntur. Intercolumniorum intercapedinibus viduarum veterum illustriora specimina duobus ordinibus collocantur. Superiori-

VIDVITATIS SEX ALIA SPECVLA

Iudith. 11. Ruth. lib. 3. Reg. 17. 4. Reg 4. 2. Reg. 14. Luc. 2.

bus, sanctiores ex sacra historia supernè locatæ. Iudith mariti orbitate, domestica solitudine, Holofernis victoria, solenni triumpho clarissima. Pulchra Noëmi lachrymabunda, egregia familiæ moderatrix. Sareptana, filio ab Elia vitæ reddito, memorabilis, Altera Elizæi, multiplicato oleo, celebrata. Sapiés Tecuitis solertissima odiorum, & dissensionum ciuilium conciliatrix. Anna Euangelica, quæ non recedebat è templo, inedijs, orationibusque continuis commendata, quarum singularum illustria facta, in vna B Francisca conglobata, dmirabimur. Infernè, sex quoque profanæ antiquis celebratæ matronæ viduæ coaptantur. Aretaphile libertatis publicæ studiosissima vindex; pulchra Eryxo optima prolis educatrix; Camma religiosissima fœmina; Xenocrite assidua sacri cultus sacerdos; Pythis quondam vxor omnium sui seculi tum coniunx, tum vidua prudentissima. Timoclia pudicitię matronalis, vsque ad miraculum, tenacissima, exempla Christianis mulieribus posita, quibus vel virtute proficiāt, vel salutari verecundia interim erubescant. Stylobatis rosæ ex spinis adnascentes, tum nigræ, quales in Palæstina fuisse aiunt, omnium, quæ vsquam reperiantur, odoratissimas; tum quas vulgò Hiericuntinas vocant, in speciē emortuæ, intus, vi quadam viuifica, reuocabiles, quæ viduis illud tacitè loqui videantur, *mortuæ enim estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo* tum vulgares variorum colorum amænitate pulcherrimæ quibus genus hoc vitæ spinosum, & laboriosum satis, verùm odoriferum, iucundumque su-

Plutach. De gestis illustribus fœminarū

peris, obsignatur. Ordo columnarum Doricus, solidus, & virilis, & Martius perbellè dentatus, austerusque. Generalis inscriptio Platano valdè idonea. TEMPVS PVTATIONIS ADVENIT, VOX TVRTVRIS AVDITA EST IN TERRA NOSTRA. *Cant. 2.* Senis laterum figuris ad singula specula sex absolutæ viduitatis imagines ex Doctoris Apostoli Theologia reflectuntur 1. *Si qua vidua filios, aut nepotes habet, discat primum domum suam regere.* 2. *Quæ autem verè vidua est, & desolata, speret in Deum.* 3. *Instet obsecrationibus, & orationibus nocte, & die.* 4. *Nam quæ in delitijs est viuens mortua est.* 5. *Et hoc præcipe, vt irreprehensibiles sint.* 6. *Vidua eligatur in operibus bonis testimonium habens, si hospitio recepit, si sanctorum pedes lauit, si tribulationem patientibus subministrauit, si omne opus bonum subsecuta est.* *1. Ad. Ti. 4.* Quantum ad primum, familiam in matrimonio quàm scitè, perfecteque instituerit, satis opinor proximè intellectum est, at nos hoc loco non illa vulgaria, sed summa quædam ad excelsum expletissimæ perfectionis cumulum consectamur. *I. FAMILIA RELIGIOSA. Religiosa, & diuina influentia.* Haud in ea prolis gubernatione stetit B. Francisca, maiorem quandam, & nobiliorem familiam duxit, qua erudienda, regendaque diuinior quædam illius sese efferret industria. Anno salutis humanæ instauratæ circiter M.CCCC.XXV. Martini V. Pont. Max. Octauo, Laurentio viro suo superstite, cùm iam annos ageret ætatis admodum quadraginta, an ex fama, an ex æmulatione illius sanctitatis sese ad illam adiunxerant nobiles aliquot, piæque matronæ, quæ paulatim ipsa veluti magistra, velut in vnam quandam re-

ligiosæ sodalitatis speciem, simul itando, ventitando, victitandoque coaluerunt, quarum incenso studio fouendo, alendoque, cùm magis in dies rem prospiceret operæ maturam esse, obnixè iam tum cogitare cæpit de coeunda seriò cum eo exiguo numero, atque æterno quodam Religionis nexu, sancienda Societate, quam in rem ad diuinam primum voluntatem, & gloriam vndequaque rimandam, multum lachrymis, multum precibus, multum voluntarijs inedijs laborauit: statuit denique opportunissimū factu fore, si omnes, solenni ritu, S. Benedicti gloriosissimi Archimandritæ regulam complecterentur, arbitrio, ductúque Patrum montis Olíueti, ad S. Mariæ nouæ, in foro Romano, proximè antiqua rudera templi pacis, qui ipsi quoque ex eodem Benedictino instituto vitę suæ momenta omnia moderantur. Incredibile quàm citò, quàm prosperè negotium conualuerit: id tum ne ad summum adduceretur, sola obstabat vita Laurentij, quæ tum adeo sanctissimæ vxoris vel cōsuetudine profecerat, vel quotidianis adhortationib⁹ permotus fuerat, vel omnibus voluntatibus assueuerat, vt & simul iam castè separatis thoris viuerent; & vxori pro arbitrio agere, conuenire, lectiorem vitam cum alijs instituere liceret. Interea ad rem in perpetuum diuinis pręsidijs stabiliendam, sanciendamque, Deus ipse hunc in modum manum admouere operi ipse constituit, claro sanctorum B. Franciscę tutelarium patrocinio cęlitus demonstrato. Ad peruigilium eius diei, qui dies Christo genitalis, latè toto Christiano

orb

orbe celebratur, suum ex more cubiculum ramusculos arborum inumbrauerat, quo formam quandam solitudinis, qua mirè afficiebatur, effingeret. Hîc profundissimè in Christi nascentis contemplationem effusa, abstracta per ecstasim, derelictis sensibus, cum infinita quadã feriaţi animi voluptate, diutissimè Christum infantis imagine, præ manibus, & in gremio tenuit: deinde visa sibi in purissimo quodam, & Crystallino lenissimè submurmurante diuinæ misericordiæ fonte, à Principe Apostolorum Petro dulciter immergi, lauarique, ab ipso tremendum Synaxim accepit, cùm incruentum diuini libaminis sacrificium ad altare fecisset, cui sui tutelares Apostolus Paulus, B. Benedictus, & Magdalena Christi amantissima interfuerunt. Actum inter hæc in consessu Sanctorum de legibus, quas teneri deinceps ab religioso illo matronarum cœtu oporteret: Sacro confecto, B. Francisca, solenni ritu, à Principe Apostolo consecratur, Deiparæ parenti, cuius sub tutela imposterum esset, præsentatur: postmodum redditur sensibus, quibus illa mirificis, vltra quàm cogitando assequi possumus, exhilarata spectaculis, Beata, ac florens Bartolomęum in diuinis magistrum ex Franciscanorum ordine extemplo conuenit: leges ei sacræ sodalitatis à Beato Apostolo Paulo dictatas, præscriptasque, eo, quo conceperat tenore, commemorat. Eæ se habent ad hunc modum.

LEGES SODALITATIS TVRRIS SPECVLORVM.

1. Ad eum ordinem promiscuè virgines, viduæque ritè admittuntor, legitimæ tamen ætatis omnes, quæ de suscipiunda vitæ ratione iudicare queant, capiuntor; tum de recta intentione super omnia, & de obedientia per omnia præstanda, interrogantor, casteque ipsæ concipiunto.

2. Ductu, instinctuque monachorum montis oliueti S. Mariæ nouæ vitam ducunto.

3. Ne vllius coactu, neu prauo inductu, neu pretio, neu dolo malo, conscribuntor.

4. Hoc certo, & concepto habitu vestiuntor. Primum vestem candidam, extimam verò pullam crasso panno, filoque; velum porrò è carbasina tela purum, ac sincerum esse oporteto. Candida fidem, castitatem, puram intentionem, pulla voluntariam paupertatem, & oculatam definiti lethi recordationem, velum toties ad quæsitum candorem lotum, versatum, pulsatumque, quidlibet sufferendi, obtemperandique constans studium repræsentanto.

5. Præter quadragintadiale ieiunium solenne omnibus Christianis, tria alia sobriè, ac legitimè obseruanto. Vnum S. Spiritus à Christo ascendente, vsque ad Pentecostem esto. alterum Deiparæ parentis assumptæ, à Kalendis Augusti, ad magnam Reginam cœlo receptam, ac triumphantem protenditor. Tertium diuini Amoris, totius Aduentus Dominici, menstrua fere intercapedine continetor.

6 Tribus hebdomadę diebus carnes edunto, ijs tamē vesperi parcè cęnanto. Diebus Lunę, atque Mercurij, lactarijs duntaxat esculentis, aut piscibus vescuntor. Veneris, Sabbatíque, quando commodum erit, abstinēto. generosiora vina funditus omnia explosa sunto.

7. Septem horas, ad refocillandas vires corporis, ad maius Dei obsequium dormiunto.

8. Septem preces horarias exprofesso dicunto: per singula quę dixerint, meditantor. legere autem nesciç eorum loco, ad matutinum quinquagies Dominicam precationē, septem postulationibus attenté conceptis, quinquagies item salutationem Angelicā percurrunto. Ad primam, ter atque trigesies iteranto. Ad Tertiam, Sextam, Nonam, sedecies singulis Christi cruciatibus ad singulos diligenter expensis, euoluunto. Ad vespertinas preces, quinquies, ac vigesies, ad Completorium, quindecies recitanto.

9. Manè expergiscentibus Deo immortales grates exoluendi, pro nocturna custodia, conscientiæ latebras explorandi, excutiendíque, emendationem verò de cætero proponendi prima, & pręcipua cura esto.

10. Hę leges, hęc pręcepta estunto, de quibus apud superiores, pręut res exegerit, aliter, sanciendi, eximendi, detrahendiue potestas esto. Paulus Apostolus tulit, fixítque. SS Petrus Ap. Maria Magdalena, & Benedictus scribundis adfuerunt.

Quod instituti genus Deo, ac Deiparę cordi, fundatricem verò curę fuisse, gemina, pręter ea, quæ iam memorata sunt, prodigiosa significatione demonstra-

tum est. Primum per quietem B.Franciscam seuerè S. Benedictus idcircò accusauit, quia puellam immatura ætate, suscipiẽdi Religiosi ordinis insolentem ad reliquum numerũ admittere statuisset. sedulò sub hęc cõmonefecit, ne se pecunia, vllo colore, vllóue prętextu circumueniri pateretur, neu amplæ dotis auiditate, tanto oneri sustinendo impares caperet. Aliàs supra sensus euecta visa est sibi ad gloriosissimæ Virginis latus adsistere, dein in genua aduolutam, suauissimè in ipsius gremium caput reposuisse: tum clemẽtissimam matrem, peplũ textili aureo visendum, quo vestiebatur, Franciscæ obuoluendæ, protegendęque expandisse; aliud interius aureo subiectum amiculum candidissimum, & pulcherrimum reliquo sodaliũ cœtui inumbrãdo, futuræ tutelæ magnifico argumẽto, porrexisse, & explicuisse. Ex quo non longo pòst tempore consequutum est, vt Eugenius IV. Pont Max. certior factus de optimo genere vitæ, rara integritate, spectabili exemplo, quæ in ea sodalitate elucescere in dies ac sese efferre magnificè palam, ac latè ab omnibus ferebantur, põtificia sanctione, authoritatéque suprema, omnes illas leges sanctas, ac ratas in perpetuum ex S. Benedicti instituto esse voluit; exquisitis priuilegijs cohonestauit, eo denique ritu stabiliuit, quem illæ hodie longinqua obseruantia propagatum, vitæ inculpatæ fama, & gloria, & morum incorrupta constãtia, ingenti ornamento ciuitatis, obseruant. Et moritur tandem fidus sanctæ coniugis hac in calamitosa vita comes, sociúsque Laurentius Pontianus. Ergo oc-

casione diutissimè expetitam nacta totam se ei religiosę coniunctioni dedendi, addicendique, sub annum M.CCCC.XXXVI, denique se, relicto mariti hospitio, ad communia piarum sororum tecta secedere, eóque miserabili gestu, quem supra descripsimus, in earum numerum adscribi deliberauit; quam in rem domum cōmodiori loco, situq; coēmptā, ad radices capitolij, versus forum olitorium pararunt, quæ ex turri ea parte cū speculis certis sita, Turris speculorum appellationem inde vsque seruatam accepit. exinde communibus omnium votis, & calculis, tametsi vna de numero viuere cupiebat, magistra omnium, & mater electa nihil antiquus habuit, quam vt suæ familiæ ex pręcepto Apostoli, gubernationem quam optimam iniret, & quæ matrimonij vinculis impedita, vulgaribus viduis, matronísque regendæ familiæ perfectum exemplar extiterat, iam soluta marito diuinioris cuiusdam, excelsiorísque regiminis speciem exhiberet. Illa enim sunt aurea pręcepta, quæ inculcare passim solitam fuisse à certis eius præclarè gestorum, atque dictorum authoribus hunc ad locum inserta descripsimus. 1. Nonnullos conscientiæ consiliarios aspernandos, ac minimè audiendos monebat, qui noua semper, nec alijs vsitata ingererent, suísque sensibus magis, imò plerúmque sceleribus, proh facinus! quàm vsitatis veterū sanctorum, ac patrum institutis niterentur, nouitatis magis cuiusdam, & vanitatis, quàm simplicis veritatis amatores. 2. Propriæ voluntatis, ac sensus penitus abiudicandū, explodēdúmque instinctum esse dicebat,

neque ex parte, verùm omnino voluntati, rationíque diuinæ permittendum: duo enim illa, volo, nolo, quæ ſapientes duo humani generis incendia eſſe dixerunt, ablegand a penitus eſſe, & à religioſo genere arcenda. 3. In omnibus, quæ diuinam ſeruitutem attingunt, animam chriſtianam cæcam, ac ſurdam potius, quàm aliud quidlibet volebat eſſe. 4. Scelerate factorũ pœnitentibus ita documenta attemperari ſuadebat, vt iam quadam lenitate faciles, iam fructuoſa ſeueritate formidabiles, qui illa tractant, pro captu cuiúſque videri velint. 5. Ducta ab ſagittarijs ſimilitudine, ſuperiores imperandi, ſubditos obſequendi rationem optimã edocebat: hos ſi quidem ſagittæ inſtar eſſe oportere, quæ dirigentis impetũ, ictúque contorta, rectà ſine deflexione diſſiliens, fracto, atque diſſipato aëre, ad ſcopum aduolat: illos ſagittarij ingenium referre debere, qui niſi conſultò ſagittam arcui accommodent, niſi ad eundem ipſi ſcopum collimẽt, niſi arcum manu teneant, niſi pedem commodè, & brachium, & oculos figant, ipſi operam perdant, & telum fruſtra per inane vagum, & erraticum emittant. Videas enim paſſim iſtos Icaros, ſui opinione, & inani ambitione, ſanctitatis imagine perſonata, inflatos, ſéque, currũque, equóſque præcipites dare, dum alijs faſtuoſè imperare, quàm ipſi quæ imperant facere malunt. Cæterum, ſi ſe cus faciant, ſéque ſagittarios eſſe ſentiant, tum
Pſal. 126. illud Prophetæ principis vſu futurum, *Sicut ſagittæ in manu potentis, ita filij excuſſorum*: ſin minus aut de illo ge-
Pſalm. 63 nere ſunt, *Intenderunt arcum rem amaram, vt ſagittent in*

occultis immaculatum. Quippe superbè, & asperè in claustris imperant,& cæci ipsi, & exoculati miserè oppressos subditos,velut Andabatę,in tenebris,licet immaculatos,& se multo meliores in incertum,ad exitiũ immittunt;aut de illo alio numero viuunt,*Sagittæ paruulorum factæ sunt plagæ eorum;* qui pueri ipsi, & rationis, & virilis animi,& consilij expertes,suo puerili brachio, procul suos ad perfectionis religiosæ scopum iacere non possunt, nec vim illam potentem ad iactum imprimere, qui ipsi, proh pudor! destituti sunt. 6. Sępe non tam ipsa monitis vsurpabat, quàm facto suadebat, homini cum capitali hoste cacodæmone decertaturo nequaquam agẽdum instar ignaui,ac timidi militis, qui simulac viderit hostem, abiecto scuto, fugit,verum gnaui,atque industrij Athletæ diuina armato confidentia, vsque ad metam intrepidè decurrendum:futurum enim vt palmam consequatur dummodo generosè, fortitérque certauerit. Quare in eiusmodi certaminibus numquam ipsa cedebat, numquam fugiendi laboris remedia exquirebat, lætabatur potius luctæ patientia, ac de cætero. pugilum certantium more, in eodem vestigio fixa perstabat,quousque fractus, & victus hostis, abiectus, & tristis aufugeret: si enim hostem fugeret potiùs, & declinaret, quàm obstinato marte peruinceret, verendum sibi esse aiebat, ne ex metu ita flaccesceret, vti è mentis statu tandem deiecta prorsus caderet: sin contra audentior iret, eiúsque conatus vi pręstantis animi retardaret, tum sperandum esse,vt breui illius laudatissimę,

ex toto genere virtutum, fortitudinis singulare præsidium compararet. Cuius consij causam aliam magnus Antonius apud S. Athanasium afferebat, quòd fuga si cesseris, teterrimus hostis insolescere, sin ei fortiter obstiteris, frangi, remittíque animo, prorsúsque sibi ipsi vilescere consueuerit. 7. Ad extremum rectam religiosi status formam, ac veluti quam Plato dicebat, ideam, perquàm lepidè ex apum comparatione repetebat, quam à Gregorio Magno Pont. Max. per visum singulari quadam ostensione didicerat. Quod genus animalium sagacissimum vbi fructuosè laborare, & tutò viuere possint, locum eligunt; inter se mutuò, sancta quadã colligatione magnæ necessitudinis viuunt: regem cęteris, vt corpore multo maiorem, ita forma elegantiorem eligunt, & incredibili reuerẽtia illi omnes obtemperant. Rex aculeum habet ille quidem, aculeo tamen numquam vtitur: otiosæ in eo Regno penitus nullæ: omnes suo operi sedulò incumbunt: alia alij in tam populosa plebe minimè officit; locum, quem semel occupauerint, difficilè, & rarò permutant, secus enim breui, nullo negotio, dissiparentur: si iuniores honoratioribus loco cedere necesse sit, tum signo dato, & classico veluti insonãte, Regis nutu ante omnia expectato, sine quo numquam exire, nũquam se campo, cælóue committere audent, ornata, & composita acie progrediuntur: Principem quocunque inclinantem alacritate admirabili prosequuntur: lassatum, aut casu mortuum, humeris deferunt; tum si necesse sit, alium eius loco Hungaricum in morem, quasi

rem, quasi in castris, & clypeo sufficiunt. At examen emissum si aura sublatum, aut iracundiola agitatum, (nam sua illis etiam temeritas inest) aut ingenioli quodam ardore, quadamq; lasciuia correptum eruperit, tum crepitaculis æreis, vel testarum vulgo iacentium sonitu obtuso, fugiens iuuentus terretur, eaque si pauida, ad alueum maternũ regressa, in ædiculę aditu glomerata pependerit, vel statim ad proximam frondem se contulerit, nouum loculamentum in hoc adornatum illinitur herbis interius, deinde guttis noti mellis adspersum admouetur: tum facili manu congregatæ apiculę, extemporanea ferocitate deposita, recondũtur: ibi solito ingenio mira concordia deinceps viuũt. Certè quidem Tiberius Imperator, apud Nicephorum, Mauricio, cum eum Imperio inauguraret, apum Principem imitandum proposuit ea ex parte, vt quomodo ille, licet cæteris apibus specie pulchrior, & corpore excelsior, & dignitate præstantior, aut aculeum non habet à natura datum, aut si habet, nusquam vtitur; ita ille se in Imperio quanquam cæteris eminentem, imminentémque, tamen se clementem omnibus, atque tractabilem, ac velut aculei expertem, prębere disceret. Eodem ex capite, optima sororum magistra, suis pro speculo, exigua illa animalia proponebat, vt prodesse alijs potiùs, quàm præesse studerent: otium haud aliter quàm domesticam pestem effugerent; tempus vtiliter pijs orationibus, & rectè factis impenderent, perfectè in omnibus obtemperarent, assiduis operis lucrarentur, quæ socijs subleuandis

Q

prodeſſent, omnia in commune conferrent; nihil ſuũ aut proprium haberent, nimias familiaritates effugerent, domi ſe potius continerent: & quoniam ex eo inſtituto ad illam clauſtri arctioris ſolitudinem minimè tenerentur (exeunt enim paſſim, atque cum hominibus familiariter conuerſantur) at abſque Duce nunquam, certè religioſæ obedientiæ iniuſſu euolare auderent, ſacris religioſarum horarum crepitaculis, accitæ vel non longè à materno alueo erumperẽt, vel vtiliter ex fructuoſis interim operibus penderent, ac poſtmodum facili manu obedientiæ, & dulcitudine domeſtici mellis, piæque ſocietatis fragrantia accerſitæ ad dulcis oratorij, ſacrique hoſpitij aluearia reuerterentur. At de inſtituenda ſacra familia pluſquàm ſatis:

II. Secundo loco Apoſtolus diuinam fiduciam in vexata, afflictáque vidua maximè commendabat: enimuerò præpotens ille artifex in derelictis, & deſtitutis humana ope rebus magis adeſſe, quàm in alijs ſolet; quia in illis eo infinita vis eius magis elucet, quo minus alieno ſubſidio refertur accepta. cum apibus, atque formicis ſe præſentiorem, mirabilioremq́;, quàm cum elephantis oſtendit, quæ perfectæ Reip. mirum ordinem, & ſolertiſſimi operis cęra, & melle elaborati magnificentia, ſummorum opificum manupretium vel exæquant, vel ſuperant. Inde eſt, quòd viduis à magnis auxilijs, opibuſq́ue vt plurimum deſtitutis, benigniorem Deus opem afferre ſolet, iubetq́ue ab alijs derelictiſſimo illi generi afferri, peculiari illius patrocinio delectari ſolitus. *Patris orphanorum, & Iudicis vi-*

SPES CONSTANS N CNON *maxima erga Deũ fiducia.*

duarum. Viduam eius benedicens benedicam, pauperes eius ſaturabo panibus. Dominus cuſtodit aduenas, pupillum, & viduam ſuſcipiet. Reſtat igitur vt viduæ quæ ſe bonam partem diuinæ curæ intelligant eſſe, in Deo ſpes ſuas omnes collocent. *Beatus cuius Deus Iacob adiutor eius:* Ex quo conſequitur; *Spes eius in Domino Deo ipſius.* Neque maiorem vllam iniuriam illi beneuolentiſſimæ prouidentiæ facere poſſunt, quàm ſi de illa, cui ſe cordi eſſe ſciant, immemoris animi ingrata deprauatione diffidant. Noſtra vidua, quod ſit fauſtum, libera, & ſoluta viro, hanc viduarum propriam, & familiarem virtutem ad culmen extulit. Argumēta de multis pauca ſufficient. Fuit aliquando cùm in illius monaſterio, vbi iam ſodalitate firmata conuenerant, ſub prandij horam panis ad ſororū cœtum, quæ tum quindecim omnino numerabantur, alendum deeſſet. Franciſca Verulia, quę triclinio præerat, Agneti tum loci prępoſitæ denunciat, vix domi cruſta quædam ex ſuperioris cænæ reliquijs ſupereſſe, quibus è toto numero tres ali poſſint; qua re ad B. viduam denunciata, *Dominus prouidebit,* inquit. nec plura effata, fruſta illa paucula coram omnibus in menſa reponi præcepit, deinde ad dulciſſimi nutricij ſui prouidentiam ſeſe toto pectore conuertit, cui tenerrimè ex animo interim decantabat. *Oculi omnium in te ſperant Domine, & tu das eſcam illorum in tempore opportuno, aperis tu manum tuam, & imples omne animal benedictione,* deprecata ſuauiſſimè, vt qui creatis rebus omnibus prouideret, quique ſibi fidentibus pręſto ſemper eſſet, ne famulis ea neceſſitate

Pſal. 67 Pſalm. 131 Pſal. 145. Pſalm. 33.

laborantibus, ſuam paternam opem recuſaret. Vix fuſæ preces, cùm obſitas illas panis heſterni reliquias, nihil ipſa hæſitans, diſtribuit omnibus; quæ inaudito, poſt Chriſti, paruo pane tot millia mortalium paſcentis, ſimile factum, redintegrato miraculo, ita in earum manibus auctæ, & multiplicatæ ex tempore intumuerunt, vt ad ſatietatem ſingulę ſumerent, caniſtrumque de reliquo plenum reportarent. Huius non diſſimile alterum ritè, ac legitimè actis probatum commemoratur. Ad portã Portuenſem, eũ ad locũ quem *la Magine* Italicè appellant, ad ligna, vt ſolebat, pauperum vſibus colligenda, ſecum B. Franciſca cõplures, ex ſororum numero duxerat: hîc laboribus parum aſſuëtæ matronæ teneriori corpuſculo, ex itineris inſolentia, vt fit, & ex laſſitudine, importuna ſiti ardere cœperunt, copia reſtinguendi ardoris tum ad manum nulla aderat: decorum, & pudor iuxta, aliquam procul ad hauriendum ex fonte dimittere obſtabat: quod proximũ fuit, tutela diuina iam audentior, ſecuriorque, primum ſpei plena in hæc ipſa concepta verba in actis expreſſa erupit; *Spem habete tote in Domino, Dominus ſi quidem prouidebit*. Tum oratione ad præpotentem rerum omniũ conditorem conuerſa, tu ego Chriſte ſeruator, inquit, qui coruulis, paſſerculiſque neceſſaria poſcẽtibus non denegas, qui me toties nec cogitantem, nec meritam præſenti tua ope es ſolatus, oro, quæſoq́;, vt quoniam incuriæ meæ fuit dulces ſocias ad hunc laborem, nullo parato ſubſidio, circumducere, ſolita tua benignitate, atque clementia, aliquo tuo ſupplemento, hunc

errorem meum corrigas, & penuriam expleas; tum famulas tuas exoptato ſolatio nonnullo reficias. Quis ſe hîc teneat? quis non exoſculetur, admireturque iucundiſſimam ſupremi numinis ita cum hominibus, vt ita dicam, deliciãtem, ludentemq; in orbe terrarum prouidentiam? citiùs exaudita, quàm prolata precantus oratio. Menſis tum Ianuarius agebatur, cæli, hyemíſque fæda tempeſtate omnia horrebant: Sociæ ad vicinam arborem conuerſæ, eam ad partem, vitem cõſpiciunt frondẽtibus pampinis, veluti adulto Autumno, tot vuis onuſtam ad numerum, quot earum capita cenſebantur; quare ſuauiſſima quadam voluptate correpta B. Franciſca, cùm ſingulis vuas ſingulas colligere iuſſiſſet, Deo omnium bonorum authori quem propitium, atque præſentem experta eſſet, grates, ac laudes, vti conſueuerat, immortales habuit. Inſtare, præterea orationi, atque aſſiduis precibus Apoſtolus iubebat, de quo vt ſupra à nobis fuerint non pauca deſcripta in matrimonio, at perfectiora quædam hic ſublimior ſegregatæ à turbis hominum religioſæ vitæ ſtatus deſiderare videtur, quam ſi præcisè, ex Apoſtoli præſcripto, perpetuæ, nec vnquam intermiſſæ orationi intentam fuiſſe dixero, non mentiar: ſic enim ſtatuo ita Deo iunctam, continuo quodam fixarum cogitationum nexu vixiſſe deinceps, vt contemplationis excellentia altiùs à nemine conſcendi poſſit, quàm quò illa, non ſine continuato miraculo, prætervolauit. Nam eum excelſiſſimũ cumulatæ perfectionis apicem ſtatuerunt eſſe, qui exactiùs illa verſarunt,

III. RELIGIO SIVE *perpetuũ orandi, & diuina meditandi ſtudium.*

cùm quis pati magis, quàm agere in diuinis videtur, quemadmodum de magiſtro ſuo Hierotheo D. Areopagita Dionyſius ſcribebat, *Erat*, inquit, *patiens diuina*. Ita enim, mea, quidem ſententia, ad illam abſolutionē, qua altius ferri humana capacitas nequeat, peruentum eſſe iudicandum eſt, cùm ad quandam ſimilitudinē ęternæ viſionis, qua in ſecura illa beatitudine, diuinā naturā ſpeculando, abſorpta mortalitas vel extra ſe in Deum tota rapitur, eoq; pacto non tam agit ipſa, quàm agitur, vel in Deo omnia, veluti terſiſſimo quodam ſpeculo, contemplatur; vbi beatificum lumē irradiat, vbi ſecuritas perennitatem creat, cuius cauſa doctiſſimi homines, *illud vnum porrò neceſſarium* de continuata æterna viſione interpretantur, quod de meditatione diuinorum in B. Magdalena aliàs dictum eſſe contendunt. Nunc admiranda hæc vidua & ſupremum diuinæ ecſtaſis faſtigium conſcenderat & veluti iam illius clariſſimi ſpeculi præſentia frueretur, longè diſſita, & arcana paſſim prouidebat. In comperto eſt ita fuiſſe ſublimiſſimis meditandis rebus abſorptam, vt manuarijs attenta negotijs etiam familiariter à ſēſibus, per duas, treſúe horas, in ecſtaſin raperetur. Quo tempore ſenſu adeo colligato, captoq́; ſtatu verò totius corporis immoto, iacentiq́ue, vel manibus ad pectus implexis, vel complicatis humigenibus, perſtabat, vt volſellis, ſpecilliſúe puncta, confixaq́ue nihil penitus ſentiret: motum verò alium ederet nullum, præter ſuauem quendam ſuſurrum, perinde ac ſi cum diuis ſuis tutelaribus familiariter colloqueretur. inter-

dum verò in ſubciſiuas illas, intermortuaſque voculas erumpebat. Domine mi, quo abis! Domine, tam citò! Domine quid me is perditum! Domine quando! heu me quandonam! quouſque dilecte mi! væ mihi quouſque! quouſque etiam! quouſque me miſeram! Domine quamdiu! quamdiu, dilecte votorum meorum? aut quædam eiuſmodi animi amore languentis interna ſymptomata. Tum ſibi reſtituta haud aliud indicium dabat, quàm ſi ex altiori ſomno excitata euigilaret. Quod ſi abiectioribus, & quotidianis familiæ exercitatiunculis implicata eas mirabiles auulſiones ſubleuati animi ſentiebat, quid de profundioribus mentis in diuina ſeceſſibus, admirabili præſertim Euchariſtia exiſtimandum, vbi tanquam immenſa diuini amoris ſorbebatur abyſſo? Quotidianæ menſæ expiationi, quæ per ſacras preces fieri ſolet, cùm daret operam aliquando, ſociarum turba adſtante, pręſenteque, genu demiſſo, manibus iunctis, abſtracta à corpore ſemel diù permanſit; altera die, eodem loco, eadem ex prece, quotidianum cibum auſpicata viſa omnibus tãquam ex ſolis niditiſſimi radijs inflammata ſplendeſcere, oculis in aduerſam triclinij feneſtram affixis, atque ſuſpenſis, quo ſpectaculo attonitis ſocijs, ab eaq; poſtmodum quid rei id fuiſſet ſciſcitantibus, fuiſſe reſpõdit Deiparam magnam matrem, & B. Baptiſtã Ioannem Chriſti ſeruatoris cæleſtem prodromum, qui ea parte triclinij, ſe tùm illi ſpectandos obtuliſſent. Eodẽ facit obiecta cuidam matronæ ſpecies, qua illius excellens diuinæ contemplationis vis ſingulariter com-

mendatur. Ea cùm esset Bartholomæa nescio quæ Arettia, quæ eius sanctitatis fama pellecta ad illam visendam, an officij gratia, an audita suis oculis experiendi, interuenerat, tantisper, dum in aula cum sororibus cõmoratur, supra Beatæ cellã, virgã auream è cælo protensam, lilijs item aureis miro splendore micantibus, propendentem aspexit. Quæ, si cui miranda videantur, illa quæ modò subijciam etiam admirationem omnem longè superant. Principum Apostolorum anniuersario peruigilio, anno Christiani Imperij M. CCCC. XXXVIII. Ex sacra B. Pauli æde Francisca compluribus socijs comitata in vrbem reuertebatur: itineris, vti assolet, leuandi causa, in vineam exiguo interuallo, circiter molam D. Pauli diuertit, vbi cæteris ad quietem, qua cui libitum, considentibus, ipsa ad riuuli ripam, qui locum illum iucundè præterfluit, meditationis causa acquiescens sese orationi componit, ex quo repentè correpta in profundissimam ecstasim illa tantummodo submurmurans audiebatur. *Ita diuina gratia vti iste riuulus leniter, & tranquillè fluit.* Exinde sensim sui iam, sensuumque impotens, in subterlabente amne, super aquam inflexis genibus, totóque collocato corpore, ibidem pluribus horis, non modo non depressa, sed ne leuiter quidem madefacta permansit, sibíque aliquanto post redonata, sicca penitus veste, totoq; intacto corpore prodijt. Quid nos porrò ad exquisitam beatitudinis speciem desideremus, qui viduam versantem in corpore supra elementa sublatam, supra sensus erectam, lumine illius cælestis

Acta publica.

æmulo

æmulo collustratam, Deo denique prorsus affixam, hærentemque videmus? An fortasse præterea vt anticipatæ cuiusdam felicitatis prerogatiua, in clarissimo illo, ac præcelso speculo alia à communi captu longè semota contempletur? Nec illi sanè ineffabile hocce cælestis beneficentiæ ornamentum defuit, adeò incomprehenso illi, atque inaccesso interminatæ diuinitatis speculo iuncta viuebat. Omitto sacrilegiũ non consecratæ Eucharistiæ, ad D. Cæciliæ sacerdotis scelere deprehenso, retectum, & quæ alia superius eius facti germana recensuimus. Id autem, quod in ipso illo D. Cæciliæ templo contigit, nec nostro instituto alienum, nec commemoratu inutile, aut infructuosum videtur. Alium sacerdotem concubinatu domestico nocentissimum, sacrum Missæ sacrificium peragẽtem totum infami lepra coopertum videbat, donec ad solemnem consecrationem peruentum esset: tunc enim absterfa contagiosa scabie, in pristinum statum purus ad communionem vsque restituebatur, radijs præsentis Christi inuisam turpitudinem, & luem infandam infuscantibus; postea sacra communione ritè peracta, rursum execratæ contagionis dehonestamento infectus fœdabatur. Rem à se visam, cùm primum opportunum fuit, illa magistro moderandæ conscientiæ, ex ordine aperuit; rogauit vt nefarium sacrificulum commonefaceret, vti se crimine tanto abstineret: constitit commonitioni suus fructus. Ille se deprehensum miraculo ratus, facti pœnitens, dignas à seipso sceleris pœnas vltrò repetijt; ac breui vita functus, meritis, preci-

busque mirabilis indicis, suisque factis, postliminio cęlum amissum recuperauit. Si hæc pauca sunt: Ioannes Mattiottus B. Franciscæ spiritalis magister, incertũ qua causa, ab vrbe abesse coactus aliquamdiu, peregrè exinde reuersus, à Sancta discipula de morbo, quẽ ruri pertulerat, deque rebus omnibus Bononiæ, nam eam vrbẽ petierat, gestis fuit minutatim admonitus. An ille idem Mattiottus, an quispiam alius, non satis mihi cõstat, certè B. Franciscæ magister quisquis is fuit, ira in quendam cõcitatus exarserat, quo die Beatam, vt mos erat, inuisit, quę eum secus, quàm solebat, insalutatum, & seueriusculè, nec genuflexo de more exceptum, ex abrupto deseruit, atque in cubiculum, illi propitiatura superos, se recepit. Post paulum reuersa, mutato vultu, patri reuerentiam, quam consueuerat detulit, tum ei facti insolentiam admiranti, addidit, primo eius aduentu se illi socium adiunctum cacodæmonem conspexisse, à quo ad iracundiam fuisset aduersus proximum inflammatus, atque idcirco se ad placandum illi numen secessisse, iamque, venia exorata, criminis, & discordiarum laternarium facessiuisse. Cui ille culpam ingenuè, & rei gestæ seriem, mutationemque, quam senserat, animo eius precibus illa commotione liberato, confessus est. Certum, ac rarum, & actis publicis iuridicè exploratum. Cecca, seu Francisca illa fuit, Andreottij Clarelli coniunx puellam immaturo partu pepererat, valẽtem tamen, & vegetam, nihil vt baptismus vrgendus iudicaretur; at nostra vates, instinctu fatidico, dedita opera, eam præter morem adijt, nocte con-

cubia, preſsè preſsè monuit piaculares infanti properandos latices. Parochus moras nectere, adultæ noctis importunum tempus obijcere: partus proſperitatem apertè cauſari. Beata ex aduerſo inſtare, vrgere, iubere per omnem modum, vt periclitanti animæ, illa ipſa hora, ſalutaris expiatio maturaretur. Vaticinium certum, & clarum, & cōmodum fuit. mox tincta viuifico fonte puella, momento vis repentinæ febriculæ graſſantis extinguitur. Rurſus ad B. Cæciliæ ædem, fortè adoleſcentem dormiturientem aduerterat, interim in ſomnijs, laſciua nequiſſimi ſpiritus illuſione, ad ſceleris meditationem inſtigatū, qui à ſacerdote, præſagæ vatis admonitu, ad loci reuerentiam, atque mundiciam expergefactus, ſe periculoſa tentatione ſpurciſſimi Dæmonis liberatum aſſeruit. Alter neſcio quis Laurentius cognomento Tuccius adoleſcens, qui Franciſco Sclauio educatori ſuo, effrænata quadam ingenij, ac linguę intemperantia ſtimulatus, graué quandam calumniam inurere, nemine ſui deprauati conſilij conſcio, deſtinauerat; à B. Franciſca illius intima quæque ſenſa rimante, illumque ſingillatim de omnibus admonente perterritus conſilium ipſe ſuum, & flagitium faſſus nemini niſi Deo, & Beatæ cognitum apertè damnáuit, & de cætero abiecit, & reconciliata fide, mutato propoſito, veniam ab Sclauio facilè poſtulauit. Nec minus Ceccæ Clarelliæ de partu, quàm iſti de conuicio periclitanti, per opportunam opem, attulit. Cecca in omnem euentum ſuſpenſa breui ſe deonerandam quidem faſtidioſo pondere vteri con-

fidebat, necdum tamen vllis pressa angustijs de partu adeo propinquo cogitabat. Anastasiam super hæc, vnam è religiosis sororibus suppetias B. Francisca præmittere tempore occupauit. Cecca securior, quàm grauidæ par esset, Anastasiam ingenti gratia consalutatam remittit bona cum venia, rata nihil tam citò sibi eo auxilio opus esse: reuersa domum Anastasia magistræ renunciat fideliter omnia, quę Cecca retulerat; iubetur tamen se in vicinam Ceccæ domum recipere, atque ibi in omnem exitum parata, postquàm vociferãtem in partu inaudierit, accurrere, breui námque absque dubio parituram esse. Et prædictioni respondit euentus: vix destinatos lares intrauerat, cùm grauida sola domi tum relicta, certissimo vitæ, partusque discrimine, horrendum inclamare, opem frustra vndique, lamentabili eiulatu, implorare. at Anastasia momento ex vicinia aduolare, subuenire tempori. Commodum, & quasi ex condicto omnia visa concurrere; ac celerius fere, quàm à me narrata fuerunt an Anastasia opitulante, an potius, B. Frãciscæ sanctimonia obstetricante, felicem partũ enixa, conduplicato periculo Cecca perfungitur. Eodem argumento, Pernam Pauli Ioannis vxorem, ex partu ad extrema adductam desperatam iam, & conclamatam, parituram incolumem prænunciauit. Pallotiæ item marito suo Laurentio Alterio longua ægritudine iam ad summum cum morte luctanti, sanitatem corporis à B. Francisca postulantĩ voti compotem fore certò spopondit, modo ipsa vanitatis muliebris inutilia ornaméta deponeret:

ſic eadem opera vxori modeſtiam, & frugalitatem, marito valetudinem, vitamq; reſtituit. Poſtremum erit in hac narratione, vt innumera eius generis alia taceamus, Pernę monialis cuiuſdam, è turri ſpeculorum, celebre, & maximum, tametſi in re perexigua, & pene nulla, documētum. Ea incauta, domeſticis munijs obeundis, aliud agens, ex incuria, vim olei non magnam remotis arbitris, nemine aduertente, effuderat; veſpere tamen, ex quadam occulta ſuperbia, mente concepta, vt lege familiari tenebatur, publicè proclamare erubuerat: conuocatas ſub hæc in vnum omnes, Beata magiſtra moniales admonet, iubetque ſtrictiori quadam obedientiæ vi intentata, quæ facti ſe ream noſſet interius, culpam demiſsè, modeſteque publicè ex inſtituto promulgaret Hîc ad arrogantiam adiecta contumacia Pernæ fraudi, & exitio fuit. nam ſupra modum in ſua inficiatione obſtinata, Deo peruicaciam vindicante, mox à Dæmone obſeſſa occupatur, qui præfocatam ei gulam frangere, nitebatur, ni pia vindex permota periculo manu percuſſam, re iam comperta, ab crudeliſſimo obſeſſore protinus expedijſſet. Id quod nemini nouum videri debet: quanquam enim parua iactura, at arrogantiæ, & refractariolæ contumaciæ maxima inſolentia: maximè in re leui, cui nulla cauſa inficiationis iuſta, vt ſæpe aliàs ſolet, ſubeſſe poterat, præcepto præſertim vrgente præpoſitæ: ita non pomi pretium, quod penè nullum erat, ſed peruicacia Adamum, noſque peſſum dedit: ita Saülem nō paucæ pecudes diuino ſacrificio reſeruatę, vel inimico

Regi humana exhibita indulgentia, verùm inobse-
IV. LACHRYMARVM ASSIDVA PROFVSIO. quētis animi pertinacia exauthorauit. PLACET'NE modò nostram Platanum iuxta aquas latos spargentem ramos, an Noëmi lacrymis irrigatā suis in sua nuru prosperantem aduertere? Equidem velut, ex ore Apostoli, vidua, quę in delicijs viuit mortua est, ita quæ vicino lacrymarum humore frondescit, tanquam lignum, me authore, habeatur; *Quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo, & folium* Psalm. 1. *eius non defluet, & omnia quæcunque faciet prosperabuntur.* Platanum quantumuis recidas, non excidas: tanto sese altius obnitens efferat, quanto plus frondium cōmoda amputatione deperdat. Viduam omnibus prę- sidijs destitutam omnia lancinant, detruncant, ampu- Seneca. tant. *Superat, & crescit malis. Tempus putationis aduenit, vox Turturis audita est in terra nostra.* Putatur, ingemiscit; ictibus non fatiscit. id ego in quarto speculo representaui. Enimuerò, delicijs omnibus valere iussis, Sancta vidua inter aduersa, & aspera omnia fronduit magis, suaq; viriditate non solùm seipsam, sed latè vicina omnia opacauit: imò vero iam tandem, *Extendit palmites* Cant. 2. *suos vsque ad mare, & vsque ad flumen propagines suas.* Ac ne inculcata superius, de seuerissima vexatione, atque laceratione corporis, de hamatis, vncinatísque flagellis; de circulis ferreis, de setosis, aculeatísque cilicijs, de extremis inedijs, de toto horrore vitę iteremus; hîc lacrymantem tantummodo referre pēsi habemus, iamque cum vate sanctissimo vociferantem, *Inundauerunt* Threu. 3. *aquæ super caput meum: dixi, perij. Inuocaui nomen tuum*

Domine de lacu nouissimo. Sponsi blandientis applausu illo sponsa altera glorietur. *Oculi tui sicut piscinæ in Hæsebon.* Hæc nostra geminas oculorum scaturigines suo quodam iure iactabit, sponsumque ex animo ad hunc modum affabitur; *Quis dabit capiti meo aquam; & oculis meis fontem lacrymarum? & plorabo die, ac nocte interfectos filiæ populi mei?* Siue enim vexatissimæ Ecclesiæ, suique seculi ruinas circumspiceret, siue Romanæ vrbis tum exercitatissimæ calamitates aut præsentes videret, aut imminētes exhorresceret: seu in memoriam labeculas suas accerseret, seu sponsi in genus humanum infinitam Charitatem pensaret, tota lacrymoso liquore colliquefacta irremediabili geminorum fontiū alluuione diebus, ac noctibus inundabat; ita se, numquam intermisso fletu extenuabat, exhauriebat, exinaniebat, vt subinde lacrymarum à sponso fluenta repetere cogeretur. Ergo, qui illi in peccatorum confessionibus moderabatur, re explorata, veritus ne tanta, tamque perenni profusione lacrymarum, vel oculorum aciem perderet, vel vitæ vsuram effunderet, pro summo illo, quo pollebat imperio, illam iussit modum fletibus aliquem adhibere, & sibi à continuo mœrore, quæ se tātoperè cruciabat, temperaret, seuerè pollicitus, eius se culparum arbitria ipsum, suo capite, suoque periculo persoluturum: nullam enim vim tantam criminum vsquam esse posse, quam iam illa tot lachrymis non euisset. Lacrymarum namque victoriam esse, atque triumphum, ex B. Hieronymi sententia, dudum accepimus. *ô lacrima,* inquit, *humilis! tua est potentia, tuum Re-* Hierem. 9

gnum, tribunal Iudicis non vereris; non est qui te vetet accedere: si sola intraueris vacua non redibis. magis crucias diabolum, quàm pœna inferni quid plura? vincis inuincibilem, ligas omnipotentem, inclinas filium hominis. At ne in infinitū eat oratio, pręter hęc omnia; INCVLPATAM vita, fideq; viduā deposcebat Apostolus, necnon ab omni labe in omnibus immunem, atque innoxiam. Habemus vnam ex paucis, ab omnibus vitæ partibus irreprehensam, atque perfectam, si, quæ breuiter satis narrata sunt, hactenus recordamur, quæ illa omnia vel virgo, vel nupta, vel vidua vno tenore perfectæ, & incomparabilis sanctitatis exhibuit: qua inuariabili vitę institutæ constantia, inde ab ipsis incunabilis, vsque ad extremum spiritum adeo perdurauit, adeo per omniū ora, mentesque, non modo tota ciuitate dum viueret, verùm per vniuersam Italiam omnium virtutum, quę in Christiana Sancta fœmina desiderari possunt, odorē sparsit, vt viua, ac superstes apud omnes vulgo Sancta haberetur, quod magis statim intelligemus, cùm de illius obitu communem omnium sensum cum maxima admiratione cōiunctum referemus. Quia tamen vna virtus obedientiæ cæterarum omnium vinculum est, & quasi parens, specimenque virtutum, illéque non immerito, & loqui victorias, & omnes perfectionis religiosæ numeros expleuisse censetur, qui se verè obedientem ad omnia, cum ratione, & virtute coniuncta præstiterit, hoc videamus sanè hoc loco, quàm se ea parte ad omnem exactam perfectè obedientis formam euexerit. Hoc primum, hoc perpetuum, hoc antiquum

V. INCVLPATA TOTIVS VITÆ RATIO.

antiquum habuit, vt sapientem, & probum vitæ magistrum nancisceretur, cui in omnibus tanquam Christo pareret, quem suorum certaminum Agonothetã, quem suæ nauigationis quasi nauicularium, quem viæ suæ ducem, quem sacræ militiæ antesignanum in omnibus, per omnia, super omnia sequeretur. Nihil refugiebat, nihil excusabat; imperare, multo magis obedire nouerat; præerat, suberat æqua semper, & læta; nihil alijs præcipiebat, quod non priùs ipsa faceret: atq; ecce Abrahami fidem obtemperandi studio, filio immolando, lõgissimo interuallo temporum, reuocatã. Sub annum reparati orbis M. CCCC. VI. commota, incertum, indictúmque qua causa, aduersus Innocentium VII. Pont. Max. ciuitate, Ladislao Rege Neapolitano ad ciuile patrocinium, vt in populari rabie, accersito, Perinus quidã Troianus Comes, qui vrbi pro Ladislao tum cum summa potestate præerat, aut veriùs imminebat, Paulucium B. Franciscæ affinem carcere primum, tum nisi Ioannem Baptistam, Laurentij Põtiani prolem illi obsidem ad Capitoliũ sisteret, capite damnauerat. funesto nuncio mater accepto, puerum latebris cõtra iniuriam tegere, optimum id factu rata, deliberauerat. Domo iam vnà cum filio foras prodeuntem suus in diuinis Magister offendit, qui ad illius solatium, fama illa permotus, accurrerat; qui in summa imperat, re æstimata, librataque, vt gnatum intrepidè comiti ad Aræ cæli ædem, vbi tũc erat, adduceret; quid vereretur? quin suas in experto toties numine spes omnes defigeret? quid cunctaretur innocentis affinis

certum exitium, obiecto filio, auertere? haud dubium quin fidei experiundæ causa, id iubere moderatorem Deus interiùs instigauerit. Atque illa nihil iussum morata, vocem tanquam à Deo emissam ex tempore hausit. calcata naturæ calcitrantis innata indole, ipsómet vestigio, læta, multis interea, qui rem humanitus æstimabant, ex aduerso dissuadentibus, ad Aræ cæli, ira, atque odio inflammatum Comitem conuenit; templũ ingressa ad maximum altare aduoluta Frãcisca, Deum auxiliatorem primum omnium, toto ex pectore, Virginemque Deiparam venerata, liquidò suauissimam miserorum Patronam, etsi tunc, de more, suo tabernaculo inclusam aspexit. Inter quæ à Paulucio, qui præsens aderat commonefacta, vt se Perino ad pedes abijceret; hoc modò respondit, cupere se antè ei supplicem vota facere, qui vellet, possetque vexatæ opem afferre. Tum rabiem ex ore, atque oculis stillans Tyrannus Baptistam parenti è manibus miserè lacrymantem, eiulantemque, vt pueri solent, per vim auulsum abripuit, in Capitolium abduxit, raptauitque: quæ dum agerentur, Beata raptorem, Simiæ ferocissimę instar, dulcissimam prolem eripientis videre sibi videbatur: ipsa interea precibus geminatis, nihil penitus animo commota certum negotij exitũ operiebatur. Non fides illam, nec obedientia fidem, nec constantia obedientiam, nec exitus constantiam, nec tyrannus exitum, sed suą tyrannum expectatio fefellit. Haud multo post Perinus vrbe abscessurus puerum adsportandum imponi equo mandat: at equus

hero humanior, nulla vi, nullis aculeis, nullísue calcaribus, nullis fustibus, nullis artibus impelli potuit, vt se loco moueret: quin alij equites alijs equis, puero retro ad dorsum iniecto, rem aggressi infectam omittere, ipse subringens, ac immane infrendens, spe delusus Comes, puero relicto, in rem malã, re infecta, abire cogitur. ita Tyrannus à scelere, mater à metu, puer à periculo, Paulucius à vinculis, in summa, vniuersaq; populi Romani gratulatione, mulieris prece, & miraculo aduersus tyrannum armati, eximuntur. Quòd si illam Simiam expedita viduæ obedientia elusit, certè hos tauros vis eadem obtemperantissimæ mentis edomuit. Res ita habet. Die veneris sanctioris hebdomadæ, iter cum sua vannotia ad S. Crucis in Hierusalem proximè vrbis muros ingressura (qua antiquissima, augustissima æde, Christi cruciatuum nobilissima quæque insignia, atque mysteria celebrantur) iussa fuerat vnà cum socia, tota via, Christi seruatoris pœnas acerbissimas præcipuo studio meditari: neminem ex itinere, ea de causa, aut circumspicere, aut salutare, ne in aliena animus distraheretur. vix ad Xenodochiũ, cui à Domino nomen impositum, appropinquauerant, quando in ferocissimos tauros incidunt, quorũ incursu, reliqua multitudine prę metu huc illuc, in incertam, perplexamque fugam præcipitante, ipsę præcepti haud immemores nõ oculos attollere, non gradum festinare, non se leuiter commouere, multò minus conturbare ausæ, absit vt aufugere, iter inceptum intrepidè prosequi, spesque suas in Deum stato-

rem, vt ita dicam, conijcere ſtatuerunt. ferocientes belluas vim pręſentis numinis perſenſiſſe diceres. momento velut edomitæ, par religioſarum affiniũ prętergreſſæ, illæſas, ac ſanctas abire ſiuerunt, repentina quaſi indulgentia manſuefactę: quo clariſſimo indicio nihilo obſcurius vim obedientiæ cohoneſtatam fuiſſe diuinitus cenſeo, quàm eius apud Caſſianum egregio facto, qui iuſſus rabioſam leęnam apprehẽdere, vinctámque abducere, fera domita, alligata, ac triumphata, ſui generoſiſſimus debellator obtemperauit. Nullam magis virtutem B. Franciſca vel pręd icabat, vel ipſa vſu factitabat, quòd ad reliquarum omnium excellentiam viam maximè compendiariam eſſe diceret. quanto verò magis, cùm nouum oſtentum illi eius ſummæ virtutis pręſtantiam, velut in imagine delineauit? Adoleſcentem vidit aliquãdo ante Chriſti pendentis imaginem, ad preces ſeruatori fundendas proſtratum, qui typum quendam obedientiæ ad ipſius pedes ad hunc modum expreſſum deprehendiſſet. Rotæ quatuor in quadro concluſæ, catenis inter ſe, veluti quibuſdam retinaculis, nectebantur: harũ in meditullio ingens erecta columna ſurgebat. Primę rotæ inſcriptum erat. VOLO, NOLO. Alteri. MAGNIFICE APPARERE IN REBVS MEIS DESIDERO AT IN TENEBRAS MEAS VSQVE DEVOLVOR. Proximè inſequenti. QVOD HABEO HOC QVÆRO, QVID MIHI VELIM NESCIO. vltimæ verò. ID QVOD ASSEQVI NEQVEO, MAXIME APPETO. Iam primę catenę ex

aduerſo charaćteribus ſculptum aureis legebatur. HVMILITAS, primam autem rotam tenebat. Secundę PVRITAS, rotam alteram coërcebat. Tertię SPES, qua rota tertia implicabatur. Vltimę SAPIENTIA, quę rotę extremę volubilitatem implexis quibuſdam nexibus retardabat. Intermedia columna fortitudinem indicabat, cuius firmitate catenæ diuino præſidio ſubnixæ retinebantur. Supra columnæ Epiſtylium ara prominebat, in qua vir aſpećtu prędítus venerabili, & gemmato diademate coronatus aſſidebat, qui Deo inſpećtori ſucceſſuum, qui ex obedientia proſperè exiſtere ſolent, rationem ex ordine reddebat. Ego interpretor, non tam eius virtutis momēta, illis ſimulacris expreſſa, quàm cæterarum omnium connexionem, catena illa Socratica à veteribus celebrata, in huius ſanćtiſſimę animæ intimo penetrali cōſtātem ſignificari. Quod vt ego credam, altera illi immiſſa viſione adducor, qua Regius fidicen Dauid eā aliquando per ſomnum oblatus certiorem fecit, eo ex capite omnia illa, quæ naturæ modum, atque ordinem excederent, diuino beneficio redundaſſe, quòd ſeſe obedientiæ ſtrićtiſſima religione cum Deo, cumque moderatore ſuo, quem Dei haberet loco, inenodabili illa obſeruantia, deuinxiſſet. Ijs excitata magis, atque incenſa, haud procliuè intellećtu eſt, quàm inuićtam, quàm infraćtam, quàm perpetuam ſeſe in eius abſolutione virtutis præberet. Illud ſatis notum, & exploratum, & propter rei nouitatem huc vſq;, quod ſciam, inauditum, illam in medio ardore ecſtaſis, ſen-

ſibus planè deſertis,&impeditis,ſubleuatam, ſolitam tamen,ad vnam obedientię vocem,ſentire,audire,reſpondere, ſtare, progredi, & quiduis aliud, corpore licet tum ſemianimo, & ſopito obire, pene ad inſtar veterum Dædali ſtatuarum apud Platonem (αὐτομάτους vocabant) quæ inſenſiles cum eſſent, atque exanimes,arte tamen,atque ingenio artificis per ſeſe moueri,volare, excurrere videbantur. Certum ſi quidem in ecſtaſi, quanquam ſuo ſemper ſpiritu corpus animatur, ſenſus tamen, vi animæ rebus ſuperioribus pene tota collata, captos,& deſertos penitus obtorpeſcere. Ecce iam quod tota miretur, obſtupeſcatque poſteritas. Hippolytus S. Mariæ nouæ præpoſitus, Bartholomæo quodam Franciſcano ſocio, cùm B. Franciſcam obſequij ergo adiuiſſet, ſermocinando de diuinis inter ſe,momento diſtractam,atque auulſam à ſenſibus conſpicantur. non ignarus, aut nouus Hippolytus quorſum res euaſura eſſet, ſopitæ iubet,ne ſe eius iniuſſu illo ſtatu,locóue commouere auderet. Nec plura cunctatus,domum reuertit. Fuit iuſſis fides.totā eam noctem eodem immota veſtigio hæſit,deſtituto corpore. Rita monialis denique tantam moræ patientiam miſerata,fictitio præpoſiti, atque mutuato nomine inclamabat, vt cubili tātiſper innixa quieſceret: nihil obtinuit, tantum ſemimortuis voculis ſubmurmurantem audijt, nolle ſe exurgere niſi eius imperio, qui id illi iubere poſſet. Rita igitur,poſtero die primulū illuceſcente,Hippolytum ſtatuit conuenire; vti rei ſerie nunciata,Franciſcæ cōſuleret. Ab illo hoc modo

Plato in Menon. & Hipp. maior.

retulit. I, Rita rectà domum, ac Franciscæ seriò meis verbis impera exurgere oppido, & corpore ad lectulum composito, requiescere. Dictum, factum. simul magistri nomen inaudijt, experrecta surrexit. Huic non dissimile factum, atque haud satis sciam an stupendum magis, pridie conuersionis Apostoli Pauli cōtigit. Templum ei in suburbana Ostiensi via dedicatum, eo die, suo pristino more cultum religiosissima fœmina adiuerat, vixque ad princeps altare venerabunda prociderat, quando infima illa, brutáque sensuum concretione aliquanto semota, repentina auulsione, mentem ad diuina contemplanda transuexit. Sociæ moniales, quas secum aliquot abduxerat, incertæ quid agerent, eámne suis illis delicijs perfrui diutiùs sinerent, an ab illo raptu diuellerent, dum inter se suspensæ deliberant, vox cælitus allata per ecstasin à Beata percipitur, qua, nomine obiecto obedientiæ, consurgere, domumque repetere extemplo iubetur. Mirabile dictu, factúque, ad eam obedientiæ appellationem adeo assuëta, præclusis, vt erat, desertísq; sensibus, insensili corpore consopita, brachijs ad pectus, crucis specie, configuratis, oculis cælo perpetuò fixis, gradiebatur: iamque ad eam crucem peruentum erat, quæ in media area, consecrati templi monimento, erecta conspicitur, cùm sibi restituta, sensibusque reddita, cœptum iter ingressa cum socijs in vrbem redijt, domumque reuisit. POSTREMVM à vidua summus magister exigebat Apostolus, vt *in operibus bonis testimonium haberet, tribulationem patientibus subministraret, sororum pedes* VI. PIA CHRISTIANA CHARI-

TATIS OPERA. *vbi ſimul varia ſanãdu corporibus miracula.*

lauaret, & id genus alia. Sim infinitus, ſi cuncta conſecter, ſiquidem incenſæ charitatis ardorem, quo flagrabat in proximum, memoria tenemus eum fuiſſe in B. Franciſca, marito ſuperſtite, quem in paucis, omniũ ſeculorum memoria, legimus. Sublimiora hîc quædã, quando perfectum in vidua exemplar proponimus, ſtrictim, & quaſi per ſatyram, quæ ea parte miraculo clara præſtitit perſtringemus. MENICVM, ni Dominicum malis dicere, Tartalliæ filium quindecennem adoleſcẽtem, è regione Triuij, grauiſſimo morbo comitiali miſerandum in modum agitatum, Rentij auũculi rogatu, manu ad illius caput appoſita, perſanauit. Anno M. CCCC. XXXVII, PERNAM mulierem annos natam XXXVII. horribili inguinaria lue afflatam, loco affecto admota manu, ſtatim remittente febre, præſenti certóq; exitio liberauit. An M.CCCC.XXXVIII, FRANCISCAM Andreottij Clarelli cõiugem lethali fluxione ſanguinis, Euangelicæ mulieris exemplo repetito, viſitatã, & tactam in perpetuum, ſubitò, nullo medicamine curauit. ANGELELLAM Petri Creſcimonij vxorem, quæ morbo Arthritico, dextri brachij ferè vſum amiſerat, cùm in eam in itinere, ex D. Pauli æde regreſſa incidiſſet, id à ſe magna fiducia poſtulantem, brachiumq́ue vt manu contingeret proferẽtem, ex tempore ſanam, valentemq́ue reddidit. NVCCIVM Lælij Quintij filium biennem hernioſum, iamq́ue maxima inflatione periclitãtem Riccia mater Chirurgo incidendum dederat. At ligatum, cõpoſitúmque ad nouaculæ lanienam, prę́ſertim pueriliter eiulantem

miſerata,

miserata, opifice sistere iusso, ad B. Franciscam, poscẽdæ opis causa, profecta, non vano consilio, aut spe irrita, filium inde sanum, & incolumem solo tactu sanctissimæ fœminę reportauit. PALLOTIAM febre ardentissima æstuantem, iamque extremum cum letho depugnantem lecto, lethoque releuatam, cùm eam visitasset, repentè restituit, quasi omne morborum genus sua præsentia propulsaret. ALLEGRAM tertij Dominicani ordinis monialem, extraordinario dolore pectoris, & periculosissima, ac ferè perpetua, certè insanabili sanguinis vomitione, cùm eam solummodo pro sua erga ægros charitate inuisisset, exoluit. FRANCISCÆ item illi Clarellіæ, ex dextera mamilla adeò intolerabili cruciatu distenta vexatæ, vt lancinanda, aperiendáque nouacula, medici sententia, iudicaretur, iamque ea causa mater puerum alteri lactandum dedisset, dolorem omnem, & doloris causam abstersit; oppidóque reuocari puerum, & materno lacti restitui iussit. MARSILIAM Mutiam nurum suam, Ioannis Baptistę Pontiani sui coniugem, extremis quibusdam, desperatisque doloribus in vitæ discrimen adductã, postquàm ea, plena fiduciæ, Socrus absentis opem vocasset, omni cruciatu, omníque periculo statim exemit. VANNOTIAM nescio quam Romanam detestabili desperatione eò compulsam, vt gladio sibi pectus, necis sibi ipsi inferendæ consilio, transuerberaret, quasi ex compacto conuentam à desperationis extrema rabie, opportuno subsidio, ad saniorem mentem reuocauit. RITAM, vtráque mamilla exulcerata,

excruciatã, poſt omnia remedia fruſtra tentata, certo vnguento, quo in ſpeciem diſſimulare miracula conſueuerat, leuiter admoto, curauit. LVDOVICÆ Annibalis cõiugi, triginta iam annos natę, prolis incredibili deſiderio, quod mulierum ingenium eſt, dudum inutiliter, atque ànxiè laboranti maſculum filium, ſterilitate abolita, ſpopondit, ac breui ſuis precibus impetrauit. Quid dicam, niſi ad omnem de hominibus bene merendi occaſionem intentam mirabilem viduam omnia ſuis beneficijs, ſua pietate, ſuíſque miraculis peruaſiſſe? quam ſi noſtræ viduæ miracula patrantem aſſequi non poterunt, at ſanè miſeris omnibus, inexhauſta quadam beneuolentia, & indefeſſa benignitate, commoda ſubſidia procurantem imitentur, quæ ego Chriſtianæ humanitatis Deo pergrata officia magis mira, quàm ipſa miranda miracula iudico. Tãdem aliquando, Beatiſſime Pater, turris ſpeculorum adducta ad tertiam contabulationem, extremam adhuc quandam meam manum expectat.

LECTVLVS IN THOLO, vbi de feꝉcti obitu B. Franciſca.

ILLA ANTIQVA ſuperſtitione veteris Apotheoſeos, præter lignorum ſtruem triplici illa contignatione erectam, Alexander, Herodianus, & reliqui etiam lectuli mentionem faciunt, quem cum Imperatoris cõſecrando corpore, purpura, auro, gemmis ornatum in ſumma ſtrue, in ipſo faſtigio collocabant, vt ſubiecto incẽdio cremaretur. Ego, ne noſtra vera, & magnifica vmbraticis, & inanibus illis vlla parte cedant, B. Franciſcæ funebrem lectulum, ipſius pretioſa in conſpectu Domini morte, multis clara, non gemmis, ſed

miraculis ſumptuoſiſſimè apparatum, in huius mei Panegyrici apice, atque in meæ turris ſpeculorum ſupremo tholo componam: placet ex cupreſſo tholum excitare, columellis, ad reliquæ ſtructuræ formam, cōpoſiti, mixtíque ordinis eleganter, per ſena item interualla, diſtinctis; nam Cupreſſum veteres feralem, & funebrem arborem vnam ex omnibus habuerunt, quam nos non aliunde, quàm ex monte Sion exciſam extremo operi adhibebimus; vnde ſummæ coronæ commodùm inſcripſimus, QVASI CVPRESSVS IN MONTE SION. Sion noſtrates Theologi cæleſtem patriam in excelſo locatam interpretātur; ibi ego ſanctiſſimæ matronæ funus exoluam, cuius cæleſtem penitus, & Sione digniſſimum obitum immortali, quaſi ſuperiori vitæ idoneam, glorioſamque coronidem adiungam. Ergo moritur tandem, hei mihi moritur, intempeſtiuo tempore, B. Franciſca, tam ſuo magno bono, quàm Chriſtianę Reip. detrimento. Extremus illi dies fuit VII. ID. MARTII. Anno Chriſtianæ ſalutis aſſertæ M. CCCC. XL. ſuæ ætatis LVI. Felix magis dum moritur votorum compos, quàm dum viueret, tam varijs vitæ procellis obnoxia. Ille qui alienis canalibus iam cęlum amplius non contemplatur: qui in volatica ſenſuum fide veritatem non venatur, qui ſub pedibus vacillantis, titubantiſque fortunæ expectationum ſuarum munitam arcem nutare non ſentit; ad quē cura, ſtudium, anxietas, & quæ ſunt alia id genus minutiora miſeriarum dragenieta accedere iam verentur; cui elementa, & mixta omnia obſecundant,

humana velificantur, diuina deseruiunt; deniq; bruta ista, & rotatilis mūdi moles sub pedibus plenè subiugata, conculcataque intra suæ leuitatis reciprocationes semper euoluitur, is demum, mea sententia beata, tranquillaq; vita frui censendus est: id autem mortē solam posse afferre in comperto est. Quantis ergo lætitijs gestijsse, eo mortis appulsu, suspicari possumus? Atque, vt primis vltima responderent, ex charitate in proximos, qua semper exarserat, mortis gloriosæ causam inuenit, eo mortis genere felix, quòd seruatorem Christum pro humano genere morientem, etiam supremo interitu imitatur, cuius vitæ vestigia non leuiter pressa ad exigui prædicationem temporis, sed penitus fixa retinuit ad immortalitatis gloriam sempiternam. Ioannem Baptistam filium, quo de supra diximus, graui morbo iacētem inuiserat, vt materna cura, ægri molestiam solaretur, illiusque animam interim cælo, per Christiana, atque vsitata subsidia compararet. Illis officijs, dum horam ex hora trahit, nec inopinatò, noctis ineuntis interuentione, magistri spiritalis imperio, Turrim speculorū petere prohibetur, in domo Ioannis pernoctare, in Transtyberina regione, cogitur. Interim, ea nocte, ipsa pariter ardore febrili adalligata, postridie malo inualescēte, vt sibi ad iucundissimas sorores aditum obsessum, & interclusum sensit esse, in eam primam, & summam curam incubuit, vt conscientiæ moderatorem accerseret, animum quàm accuratissimè expiaret, extrema animæ Christianæ solatia omnia, quæ moris sunt, ritè sacramenta suscipe-

ret. quibus exactis, eo diuino beneficio, quod ego equidem omnium, quæ in vita sperari possunt, maximum duco, ita se Deo obstrictã, deuinctámque persensit, vt omnes, qui tum illi adstarent, Augustinianos præsertim Religiosos, incredibili contentione obtestaretur, vt pro inexplicabili illa susceptorũ sacramentorum accepta gratia, largitori munificentissimo numini, quanto maximo fieri posset cordis affectu, secum gratias immortales, consociata voluntate, rependerent. Proxima nocte, postquàm in febrim inciderat, clarè se illi conspiciendum Deus obtulerat, innumerabili Angelorum choro stipatum, prædixeratque, septimo pòst die, statuisse se illam hac mortalitate miserrima expeditam cælis inferre; quare quatriduo ante, quàm ex vita decederet, à Francisco Ioanne Angelo Sclauo, ciue Romano, sacerdote clarissimo visitata, cùm morbo aliquanto leuata illi videretur, ideoque ægrotæ dixisset sibi videri, fortè numini gratum futurum, vt ipsa multorum, maximè sociarum bono conualesceret, etiamq; adhuc cum illis viueret; illa multo aliter de se sentiens, Deo, inquit, laus, Deo grates immensæ, æternæque, ego ad diem Mercurij, aut ad summum Iouis; hînc ad tutiorem vitam commigrabo. Et fuit ita. consequenti die Mercurij, hora noctis admodum prima, nono Martij, hisce humanis tendiculis extricata, liberiore curriculo, astra conscendit. Aliquanto antea tantisper, dum in illius cubiculo Missæ diuinũ sacrum fieret, sub consecrationis tempus in ecstasin raptam spiritum iam iámque efflaturã rati, qui præsen-

tes aderant, Magister spiritalis imprimis, & suæ aliquot moniales in lacrymas certatim omnes effusi, funebri eiulatu, illam iteratis vocibus exorabant, vt secum manere diutiùs vellet, idq́;, quod in promptu haberet, à Deo supremis precibus impetraret. Hîc suorum fletibus, atque suspirijs satis emollita tenera, illa, & Dei plenissima anima, quod B. Martinum fecisse, in simili suorum imploratione accepimus, ad suauissimum numẽ conuersa, D*omine*, inquit, *si adhuc famulus tuis, filijs meis sum necessaria, non recuso laborem, fiat voluntas tua, sicut in cælo, ita in terra.* Deinde cùm mortem propinquam præsentisceret, idq; tum ex præmonitione illa diuina prospiceret, tum ex inusitato quodam tutoris Archãgeli spectaculo, qui eo die, qui dies illi vitę vltimus fuit, summa festinatione, & extraordinaria diligentia triplicem illam suam telam, de qua alio loco memini me dicere, ordiri, atque absoluere nitebatur; sermone ad filias moniales conuerso, quæ totę lacrymis diffluẽtes suauissimæ matris lectulum circumsidebant, eas magna vi inflammati charitate animi in hæc verba nouissima adhortabatur. vt omnes inter se inuiolabili quodã mutui amoris vinculo nexæ, iugatæq́; viuerent: vt violenti cacodæmonis quotidianis incursibus fortiter obsisterent: vt mundi fallacis insidijs, illecebrísque vigilanter occurrerent: vt Domini Christi vestigijs prorsus insisterent, spesq́ue suas omnes in eius patrocinio collocarent: vt in virtutum omnium studiũ maximè sui despicientiæ, & obedientiæ constanter incũberent: væ enim illi, quæ se inobsequentẽ, aut refra-

ctariam exhiberet. Ad vltimum quæ, totius vitæ fermè curriculo subterraneorum lemurũ importunissimis, atque continuis agitationibus obsessa, & vexata fuerat, vltimo mortis articulo, ab illis penitus triumphatis, fugatisque libera, cùm quotidie tota vita Parthenium Deiparę matris officium recitasset, visa extremum nescio quid, formicantibus labijs, submurmurari, à suo Moderatore, quidnam diceret, interrogata, respondit iam iamque animam emissurã se Deiparæ virginis preces vespertinas persoluere, quibus oppidò absolutis, dormienti magis, quàm morienti similis, nullo cuiusquam doloris indicio, sui semper ad vltimum compos, leniter occlusis oculis, quieto, & tranquillo vultu, laboriosissimum vitæ stadium palmæ properanda decurrit. Vt primùm vrbem gloriosi obitus fama peruasit, veluti signo dato, incredibilis mortalium cuiusq; ordinis, ac generis iucundo spectaculo oculos implere cupientium concursus fieri trans Tyberim cœpit, vbi decesserat; vrbs tota momento confluere; non pueri, non puellæ, non senes, non debiles domi se posse continere. Currentibus calcar admouit nouum, & propositum palàm omnibus in corpore extincto miraculum: funere ad S. Mariæ nouæ elato, sacrum cadauer duobus diebus, tribusque noctibus, inibi insepultum ad vota, importunaque desideria populi reseruatum, tam gratum ex sese odorem perpetuò exhalauit, quod cõceptis verbis autẽtica rerũ gestarũ acta solenniter descripta testãtur, vt rosæ, & violæ, & omnis generis flores ibi copiosè conspersi putarẽtur. certiori

prodigio, quàm ex Alexandri Magni corpore, cuius ex viui membris balſameum quendam odorem exſpirari ſolitum Plutarchus, neſcias an putidulus aſſentator, an veridicus ſcriptor, memoriæ prodidit. Ergo totius ampliſſimæ vrbis congratulationes, augeri cœpræ. Ægri quoque relictis grabatis adrepere, viſendi, oſculandique cupiditate, vires, vti aſſolet, ſubminiſtrante. Plerique impetu quodam ardoris irruentes certatim ante alios prouolabant, vt primi gratum geſtamen attingerent; tantique vndique ex omnibus vrbis partibus repente concurſus facti, adire, contingere, oſculari ſancta pignora decertantium, vt ſe mutuò prementes penè alij ſuper alios corruerent. In auguſtæ ædis ingreſſu, vt quiſque ad feretrum propius accedit, dum venerabundi odoriferas ſalutant, ſubodoranturque reliquias, ingenti religione perfuſi vim lacrymarum leniter decurrentium maximã profundunt: conſilia ineunt melioris vitæ; nouam Populo Romano in cælis Aduocatam perditiſſimis temporibus gratulantur: ab eo loco diuelli nequeunt. Super omnia triſte ſimul, ac dulce ſpectaculum augent horrendi vndiq; ægrorum præcipuè, ac debilium clamores exaudiri, confuſis vocibus, & feſtis acclamationibus patronam, matrem, & ſuam Romanam Dorcadem appellantiũ, valetudinemque, ac ſanitatem crebris, iteratiſque vlulatibus expoſcentium; veſtes, induſia, alia ſuæ curatricis inſignia munera oſtentantium: nonnihil reliquiarũ ex demortuæ veſtibus, aut cadauere certatim abradere geſtientium, feretrúmve manu contingere gaudentium.

dentium. Neque voces vanæ, nec preces irritæ recidebãt: protinus depulsis morbis, restitutísque viribus multorum, diuina sanctissimi funeris vis extitit. Ex reliquo numero, Iulianus quidam, trium mensium vlcere in infimo pede contracto, medicamentis omnibus irrito exitu tentatis, Sanctę inhumatę adhuc funeri applicans ex veste frustulum præcisum vulneri admouit, sanitatemque è vestigio recuperauit. Andreotia item vndequadraginta annos nata, Petri sanctæ crucis eadem vxor, renum, ac dorsi cruciatu acerbissimo ita oppressa, vt lecto moueri, séque sustìnere non posset, permota miraculorum fama, quæ ad ferculum B. Frãciscæ etiamtum insepultæ patrabantur, illi se, ardentissima fusa prece, commendauit; vixque oratione dum finita, perfectè conualuit, ac iam lecto exurgens, suis viribùs nixa, curriculo ad salutares Sanctæ reliquias, ad mutuam coràm referendam gratiam conuolauit. Denique illo triduo, triumphi potius, quàm funeris instar exacto, corpore nulla parte vitiato, aut corrupto, imò perinde, vt si viueret, viuido, tractabili, colorato, & odoris illa continuata fragrantia admirando, placuit, quamuis populo Romano plurimum reclamante, lacrymanteq́; , sepulturę mandare, quod ægrè tandem, vti constitutum fuerat, effectum, duodecimo Martij, in ipso S. Mariæ nouæ sacratissimo templo. Verum eodem anno, ad VI. Kal. Augusti, cùm clara in dies, testata miracula exaggerarẽturq́; ex humiliori loco corpus miro adhuc odore fragrans ante altare princeps deportatur, ibique honoratiore monumento reponi-

tur,ornatu marmoreo,atque porphyretico,superiniecta craticula ferrea, ea forma, quam hodie videmus, cui Epitaphium sepulcrale huiusmodi,recenti, & glorioso testimonio sculpi fecerunt. IN ISTO LOCO REQVIESCIT VENERABILE CORPVS BEATÆ FRANCISCÆ DE ROMA, DICTÆ ALIAS DE PONTIANIS, QVÆ FELICISSIMO TRANSITV, MIGRAVIT AD DOMINVM. ANNO A NATIVITATE EIVSDEM M. CCCC. XXXX. DIE NONO MENSIS MARTII. CVIVS VITA ANGELICA MVLTIS MIRACVLIS FVLGET IN TERRIS, EIVSQVE BEATA ANIMA AETERNIS GAVDIIS EXVLTAT IN COELIS. Is lectulus, id ferculum, ea veluti sella triumphalis, hoc apparatu, illaque magnificentia,per me in summa turri sub meum tholum reponatur. Iam ad perfectionem operis iubeo,consciscóque, vt sex illa latera,ne lectuli prospectum impediant,ex purissimo,illustrissimoque cristallo,vt ita dicam,fenestrata, accurata incisione, perpetrata post mortem B. Franciscæ prodigia, bina singula ita referant, vt in transuersum intus in tholo lectus pompaticè ornatus appareat. Atque vt ille ex funere fragrátissimus odor emanás repræsentetur,volo, ac statuo, vt mera, sinceraque florum omnium gratissima genera, lilia, rosæ, violæ, narcissi, & reliqua, non arte ex ligno,vt superiùs,elaborata,sed ex hortulis pura, ac recentia, varijs sertorum, & Eucarporum, & vasorum, & coronarum, & lemniscorum inuentionibus,vndiq; in tholo, exteriùs,interiùs, ad columellas,

ad epiftylia, ad ftylobatas, ad coronides, vifenda, ac triumphali colorum, odorumque omnium pulchritudine intexantur. Poft hæc, fefe efferat primo loco PETRVS PAVLVS de Molaria, qui ad nouum ædificium domus turris fpeculorum, cùm fublimi loco magnam trabem ftatuere vellet, fubita decidentis trabis ruina oppreffus, & pro mortuo ab omnibus habitus, vnius ex monialibus oratione in periculo, B. Francifcæ commendatus, exiguo fpatio interiecto, liberius iam meante fpiritu, alleuare oculos cœpit, indeque paulatim redeunte animo, circunftantes agnofcere, ac demum fenfus omnes cum voce, & vitam recepit. AVGVSTINA ANGELI DE VITERBIO ad idem latus exprimatur. Ea ex graui oculorum morbo haud dubiè cæca, fic vt iam lumen adfpicere non poffet, poftquam omnia vulgata remedia nequicquam admouiffet, denique, re B. Francifcæ commendata, & panno, qui eius corpori impofitus fuerat, pupillæ adhibito, mox claram lucem fanis oculis haurire, poftea penitus conualefcere incepit. Alterum latus ANTONIVS DE PALVMBARIA, & IACOBVS DE CLARELLIS excipiant. Ille, anno ætatis quinquagefimo, lethali in capite vulnere accepto, iam fex offibus à chirurgo detractis, mortem inter, & vitá dubius, à B. Francifca voto ad opem vocata, & panno, quo illa vtebatur, ad plagam illato, ftatim perfanatus eft. Hic peftilentia tactus, cùm fœda impédentis mortis facies oculis obuerfaretur, valetudine à medicis complorata, Gentilefcæ fororis voto, de B. Francifcæ tumulo in-

uiſendo, tum de Iacobi imagine cerea offerenda, continuò horribilem morbum, & imminentem cladem euaſit. Succedant duę matronæ lue illa vulgari, eadem præſentiſſima ope, ereptæ, MAGDALENA CLARELLIA, & ANGELOTIA, eàdem vna capedine expreſſæ. Prior, tumore peſtifero exſecto, vehementer læſa brachium tantumnon amiſerat, & dolore graſſante, mortem proximam expectabat: tunc mater ipſius, humanis auxilijs deſperatis, tumulum Beatæ, ſuæ popularis, diuinæ quærēdæ opis cauſa, petijt, ei filiam commendauit, domum reuerſa, ea ipſa hora, qua precem fuderat, malo liberatam offendit. Altera, ſimili inciſione, contagioſo tubere lancinato, iam latere amiſſo, continua capitis agitatione ſuborta miſerabilis, ſimul ſe voto ineundæ cum alijs, ad Turrim ſpeculorū societatis, ſi præſenti ægritudine leuaretur, obſtrinxit, viſa ſibi B. Franciſcam in hęc verba loquētem audire; *Filia, non morieris*, extemplo meliuſculè habuit, ſtatimque conualuit. Prodeant geminæ aliæ, febri ſimul, & Arthritico cruciatu exemptæ. AGNES Pauli Lelli filia, & ANGELOTIA altera quędam Turris ſpeculorum ſodalitio aggregata. Agneti extremè cum morte luctanti, & carbonis inſtar ex morbi violentia denigratę Iacobella, & Auguſtina, Parthenij officij libello, quo B. Franciſca vulgò vtebatur, ad pectus applicito, certum à Beata exitium ſunt deprecatæ. Angelotię, præter febris ardorem, linguę pręterea facultate, ex articulari illa fluxione deſtitutę, mutæque, tum ad noctem proximam, medicorum iudicio, de vita certiſſimè pe-

riclitanti, Iacobella Socia non prius eundem illum precarium codicem pectori primùm, tum capiti imposuit, quàm illa loquendi vsuram, & absolutam valetudinem recuperauit. Consequantur in ordine ANTONIA Ioannis Christophori coniunx, vnà cum FRANCISCÆ Pauli Totti vxoris filio quadriēni. Illa febris, & pleuresis coniurato dolore, eò perducta, vt in sequentem diem Medicus pronunciaret viuere nō posse, iam iámque postremo sacræ vnctionis auxilio muniendam duxisset, prece ad B. Franciscam conuersa ex animo, panno illius vsuario ad partem maximè laborantem leuiter tacta, geminis repente leuata doloribus, postridie valens, & sana de lecto surrexit. Francisca Tottia gnatum ex tibijs adeò captum, vt liuidæ plagis, atræque, obstipata saniè, putrescerēt, nullaque omninò gradiendi esset reliqua facultas, spes verò sanitatis multo deterior, brachijs delatum ad Sanctæ Mariæ Transtyberinam ædem plenissima fidei deportauit, vbi ante tabellam B. Franciscæ procumbens, vix illius patrocinio dolendam miserandi filij vicem commendauerat, quando puer se humi demitti matrem precatus, primo stare suis pedibus, tum gradum figere, deinde paulatim incedere, postea ipse domum redire, denique ligamina abijcere, emplastra deponere, saluus, ac sanus de cætero viuere visus, solenne prodigij testimonium propagauit. Concludet hanc seriem recens, & spirans adhuc nostri seculi celebre factum, magno theatro, tota Roma spectatū. Ante quinquennium, anno ineuntis seculi tertio, Christi corpora-

ti M.DC.III. BELI quidam in Mahometana perfidia obduratissimus, cùm ante viginti annos, in Turcarum triremibus infestam Mediterraneo Piraticam exerceret, à Christianis captus, & in vrbem deductus, iam Marchioni Malaspinæ Triremium Ecclesiæ præfecto seruiebat: is sæpius, vt fit, à varijs de resipiscendo commonitus, cùm obfirmatus in scelere magis in dies obdurescceret, & cani surdo omnia viderentur, ex casu, quem referam, quam refugiebat, huius Diuæ patrocinio, salutem reperit. A Catarina Malaspina præfecti sorore germana sæpenumerò cum munusculis ad ædes Turris speculorum, ad Maximillam præsertim Accorambonam missus, cùm ea occasione à Religiosissimis mulieribus de capessenda Catholica fide vrgeretur, se tamen obstinatum ad omnia, & impenetrabilem ostenderet, monita respueret, consilia; & argumenta omnia, obfirmato proposito, ludificaretur, ægre tádem, officiosa Maximillę importunitate, persuaderi se passus est, saltem vt preculam illam secum ipse identidem iteraret. *Beata Francisca memento mei.* Ecce tibi igitur, ô admirabilem clementissimi numinis benignitatem! dum aliquoties an seriò, an iculariter illa repetit, piæque sorores interea dulcissimam Magistram non cessant, ad mentis sanitatem infideli homini comprecandam, assiduis precibus solicitare. Serò, sed aliquando tamen, propitium Dei numen ei cæco aperuit oculos, vt ex infidelitatis lutulento cœno ereptus emergeret. Nam, nocte intempesta quadam hora quasi noctis septima, profúdissimo somno sopitus,

puerum, qui à fe ftipem expofceret, ea forma, fibi videre videbatur, qua B. Francifcæ tutelaris Archangelus depingi folet: dein experrectus, vifo domefticis alijs feruitijs, atque heræ imprimis Catarinæ expofito, folito lætior domum Oblatarum Turris fpeculorum adire iuffus, re omni cum illis, cum Maximilla maximè communicata, ingenti gaudio, fumma conftantia, maxima admiratione, ferocitate depofita, errore damnato, fuperis gratulantibus, hominibus applaudentibus, fe Chriftianum fieri, poftulauit; atque doctus in fide, & piaculari poftmodum lympha initiatus, beneficij memor, miraculi authorem profeffus, Francifci nomen expetijt. At quis me ferat iam meà prolixitate immortaliter faftidiofum omnia referētem? quod fieri nequit, aut plura, quod in promptu eft, dicere aggredientem? aut plurima fummi momenti, breuitatis ftuftio, prætereuntem?

VERVM ILLA fublimis, auium Regina, magni Iouis ales, armigera, fulminaftra, folaris, rupicola, cælicola, Romana, Imperialis, bellicofa, fignifera Aquila, quam in fummo culmine bufti triumphalis, ex veterū fcriptorum hiftoria confpicor, me ad fe rapit, & pectus meum penetrale, infinito quodam congratulandi ftudio, concitatum ad illa aliquādo magnifica vim orationis maiorem quandam inflectere hortatur. Crefco, Beatiff. pater, & exulto, & viuo magis, cùm cōfidero Sanctam tot annis pontificale fuæ fanctimonię toties tentatum, quæfitumq́ue fuffragium eum ad finem diftuliffe, quoufque Pontificem maximum ge-

AQVILA IN SVMMO LOCATA.

nere Romanum, sibíque in alijs vnicè expetitum, aut diù expectatum consequeretur, aut singulari apud Deum gratia, quod ego non dubito, impetraret. Illud námque illa Burghesia, Romana, Pontificia Aquila perficere potuit, quod Eugenij IV. transuersa regula non direxit; quod Nicolai V. claues non reserarunt; quod Callixti III. & Alexandri VI. sacrificæ vaccæ non expiarunt, quod Piorum II. & III. Lunatæ cruces nõ illuminarunt; quò Pauli II. Leo adrepere non potuit; quod Sixti IV. Iulij II. Innocentij IX. arbores non fruticarunt; quod Innocentij VIII. quincunces non ordinarunt; quod Leonis X. Clementis VII. Pij IV. Leonis XI. glandulæ non penetrarunt; quod Adriani VI. Leones ad repagula decussati non perfregerunt; quòd Pauli III. lilia neque olfecerunt, neque fragrarunt; quod Iulij III. corollæ non coronarunt; quod Marcelli II. velocissima cerua non decurrit; quod Pauli IV. directa, quod Pij V. trãsuersa repagula non terminarũt; quod Gregorij XIII. dracones non viderunt; quod Sixti V. nec leo superauit, nec stella ostendit, nec monticuli conscenderunt; quod Gregorij XIV. vel rastra non expurgarunt, vel arbores non germinarũt; quod Clementis VIII. nec rastra secreuerunt, nec sidera penitus illustrarunt. Haud dubia Dei numen prędestinatæ suæ voluntatis indicia de Pauli V. Romani Aquila ad sublimem illum volatum prouehenda monstrauit. nemo ferè de cæteris Pontificibus non tentauit; omnes in eam curam calidissimè, & studiosissimè incubuerunt: Paulum, B. Francisca inquit, volo, Apostoli

Pauli

Pauli non ignaua discipula; Romanum expecto Romana; quietum, & clementissimum desidero pacis amantissima; denique sanctum, si me Romani sanctam decernunt, iure deposco. Cæterorum conatus amplector, huius extremam manum imploro. Equidem, B. Pater, hæc mihi certa vidẽtur diuinæ demõstrationis arbitria: nam illo ipso anno M.CCCC.XL. quo vitam cum morte B. Francisca mutauit, recenti, tepentíque quodammodo rerum ab illa gestarum memoria, Andreas Auximanus Episcopus, qui pro Eugenio Papa IV. vrbem cum eius ditione, cum summa sacrarum rerum potestate regebat, Sanctium Bouensem Antistitem, & Ludouicum Carthusianum Monasterij vrbani S. Crucis in Hierusalem præpositum, ad quæstionem de vita, & rebus cum miraculo à B. Francisca patratis, accuratè, & legitimè habendam destinauit: quare testes citati, auditíque oculati omnes, ac locupletes, breuisq́; summa autenticè inita rerum maximarum. Super hæc biennio pòst, eoq́; amplius, Anno M.CCCC.XLIII. Eugenij IV. Pontificatus XIII. Rogatione procuratoris, ac syndici Religiosorũ patrum S. Mariæ nouæ, ordinis Montis Oliueti, coram Dominico Cardinale Firmano, cui fuerat à Cardinale de Albertis, præcipuo in hac causa Quæsitore, ea delegata prouincia, alia solennis habita quæstio est, qua de LXXX. capitibus actũ, testes XXXVIII. iurati, atque assidui interrogati. Præterea Anno M.CCCC.LI. Nicolai Papæ V. quarto, post B. Franciscæ felicem obitum, XI. ad consecrationis ab Eugenio inchoatæ negotium prosequendum, iudi-

cium commiſſum Epiſcopis Spoletano, & Mindonienſi; apud quos Michael Pratēſis procurator, ac ſyndicus cœnobij S. Mariæ nouæ de promouendo ſacro negotio diligenter egit, poſitiones, & capita protulit, teſtes XLIIII. viros, LXXXVIII. fœminas præſentauit, actio tota iuridicè; meliori quàm vnquam, & exactiori ordine compilata. Inde vſque ab illo tempore, videtur ea res ad Clementem vſque Papam VIII. incertum qua cauſa, reſediſſe, tametſi in vrbe nuſquam interrupto, aut imminuto præclaro in Diuam ſtudio, eximia illius Religio ſemper continuata perſeuerauerit. Siquidem in oculis ſummorum Pontificum eius dies feſtus in vrbe, præcipua quadam obſeruantia, cultus fuit; in curia capitolina à iure dicundo, & ſtrepitu forenſi ceſſatum: ipſa diei religio, ſtatuto antiquo anniuerſaria, Alexandri VI. authoritate (ad lib. 4. cap. 25.) firmata, & ſtabilita. Eius tumulus conſtanti religione celebratus, tabellæ diademate inſignes vulgò depictæ, appenſæque: multa illius miracula ad Turrim ſpeculorum, inde ab anno M. CCCC. LXXXVIII. picturis expreſſa; Miſſæ ſacra, die anniuerſario, ſolenni ritu, à quopiam Epiſcopo ad S. Mariæ nouæ facta, tumque de ipſius laudibus Panegyrica oratio habita, Annis M. D. XXXIV. XXXV. XXXVI. XXXVIII. quod Ioannis Bruccardi, & Paridis Graſſij, qui ſacri Palatij ceremonijs præerant, diaria teſtantur. Noſtro ſeculo, à ſummis Pontificibus piaculares indulgentiæ, ad VII. Idus Martias, ædem, vbi B. Franciſca requieſcit, piè adeuntibus ritè conceſſæ. Illo die celebre ſacrum magna Cardinalium frequētia fieri

consuetum. Senator, Cõseruatores, alijq́ue Magistratus Capitolini adesse, calicem magni pretij, & funalia quatuor è cera candida offerre soliti. Insuper, quod cõstet, multi alij Pontifices diuersis temporibus, de Beata consecranda variè prouocati. Pius II. sibi super ea re supplicatum, iustamq́ue petitionem fuisse, ad volumẽ commẽtariorum quintum affirmat. Volaterranus Iulio II. B. Franciscam Romanam Sanctis adscribere cõstitutum fuisse testatur. Postremò in Bibliotheca Vaticana, vetus quædam nota Ioãnis Bruccardi eius Ceremoniarum magistri, quem diximus, illo inscripto titulo, inuenitur; *Ea, quæ pro canonizatione B. Franciscæ Põtianæ Romanæ ordinanda, & statuenda sunt.* Ergo inclitus, & sanctus modò, & Diuino numini peculiaris, ac lectus acquisitionis Populus Romanus, pro auita, & immortali sua pietate, & Religione catholica, magnaq́;, & domestica erga sanctissimam suam popularem, atque gentilem obseruantia, Clementi VIII. dulcissimæ, æternæq́ue memoriæ Pont. Opt. Max., felicissimo, denique supplicarunt, vt optatum ad exitum vsque, susceptam ab alijs summis Pontificibus, expetitam à Romana ciuitate, expectatam à populo Christiano vniuerso, debitam Beatæ, gratam superis, acceptam omnibus retrò seculis, posterisq́ue futuram consecrationem absolueret. Clementer audiuit, accepitq́ue Pontifex æquam, ac iustam supplicationem. Tribus Rotę principibus viris illustrissimis, Serafino Oliuario, Hieronymo Pamphilio, & Garsiæ Mellino, eam demandauit ex more prouinciam, vt grauissimum nego-

Volaterr. lib. 22.

tium à capite acceptum absoluerent. Sub hæc Serafinus notum iam, & celebre totius Italiæ oraculum, ingentissimis suis in Remp. Christianam meritis, indefessa præsertim, & mirabili Galliæ Regno miseiandū in modum periclitanti nauata opera, Cardinalis, maximo totius orbis applausu, inauguratur, sua vtrique fortuna dignior, quàm illo fortuna. Nam vir ille vniuersæ posteritati propositum diuinitus imitandum exēplum, cùm omnia Regi nostro, & Regno infesta, infensáque horrendam omnium Regnorum pulcherrimo, sanctissimoq́ue stragem intentarent; hostes vbique odijs infinitis baccharentur, amici, fœderatiq́ue taciti gemerent, omnes tamen silerent, & conclamatum iam diuinum liliū lamentarentur ex animo; vnus Serafinus patrię vulneribus ex omnibus vnus, intimo pectore, trāsfossus intrepidè loqui, sollicitare animos, Summos Pontifices, præsertim Xystum v. & Clementem VIII. qui illo iam pridem pro certo, experto, exploratoq́ue oraculo vtebantur, audacter instruere, viā non satis tum, desperatissimo seculo, tutam Regijs oratoribus sternere; ad illos primò sponte, tum concessione, iamq́ue, iussu Pontificum, liberius commeare, illustrare, incendere, inflammare omnia, aliā omnino breui rerum faciem incredibilili suo ardore, & in regnum studio inducere. Hinc factum, vt Christianissimi Regis Henrici IV. memori magnificentia, ad purpurā vocatus, etiam paulò pòst, minimo momēto ad ipsum summum Pontificatum, omnium penè votis, vocaretur, nisi vel ipse nimis Gallus fuisset, vel Paulus v.

claro superûm, hominûmque suffragio, Ecclesiæ, æterna numinis prouidentia, deberetur. Ergo Serafinus purpuratus, cum illo etiam Pamphilius ad sacrum collegium accitus; Mellinus verò, non multo post, in Hispaniam à Pontifice Max. missus, huius sacræ Quęstionis cursum intermiserunt; donec tres alij ex Rota insignes viri in idem negotium, maximo, & amplissimo delectu subiecti iussu Clementis fuerunt Franciscus Penia vir omnibus exquisitissimis ornamẽtis omninò mirabilis, Horatius Lancelottus, & Ioan. Bapt. Pamphilius, vt causam eo statu, vnde desierat, quasi à principio repetitã resumerẽt, acta omnia superiorũ tẽporũ habitásque hactenus perquisitiones expenderẽt, tum an legitimè, & iure actum esset, quod eius sanctitatem velle intelligerent, consultò referrenti fecerunt quod iubebantur, omni exquisita, & infatigabili diligentia. Veteres actiones sus, deq́ue versarunt, expenderunt, ponderarunt, contulerunt, selegerunt: nouam ipsi omnium accuratissimam instituerũt de continuata, inde à B. Franciscæ obitu, vsque ad Annum M.DC.IV & nusquam intermissa serie miraculorum, & famæ sanctitatis, inuiolatè ac piè per tot annos, hactenus cõseruatæ. Omnia ritè, & iure, & legitimè transacta pronunciarunt. Rem eo statu, ac loco statuerunt esse, vt progrediendũ vlterius summo Pontifici, ad extremã manum antiquo, & toties iam versato negotio imponendam, videretur. Verùm ipse quoque Clemens, re infecta, moritur. Hei mihi quid dicam? tanta maiestas emoritur, quæ immortalis nostris seculis debebatur:

tot iudices extinguntur, tot maximi Cardinales intereunt, tot Pontifices maximi in vno negotio, eoque non maximo, neque arduo, præsertim in re adeo probata, testatáque moriuntur. ô inanes nostras contentiones, ô frustra suscepta consilia, quæ in cursu ante franguntur, & corruunt, quàm portum adspicere potuerunt. Intelligimus modò quid sit ista mortalitas? adspicimus satis quis ille sit Euripus rerum humanarũ? videmus quid sit isthæc ambitiosa vita, quam tanti facimus? in qua ludimus? pro qua de salute etiam animi sæpenumerò decertamus? quam irridere, contemnere, despicere, spectare possumus, describere, & definire non possumus? non possum omnem animi mei sensum acerbissimum explicare, nisi dixero hãc vitam non vitam esse, verùm contentionem inanem, inuisam, inuitam: quam porro illam contentionem nos aliam esse arbitramur, si verum dicere volumus, quàm mare inquietum, vadum procellosum, inexorabile bellum, longum funus, breue diuersorium, iter lubricum, inexplebile desiderium, lamentabile exilium, fortunæ ludibrium, inconstantiæ documentum, gloriosum probrum, fastidiosum lucrum, vanitatis emporium, immane naufragiũ, furiale solatium, bacchanale tripudium? Quo plura dico, plura occurrunt, illaq; potius in mentem veniunt, horrendi scopuli, rapidi fluctus, Syrenum cantus, Scyllę latrantes, sentes asperi, mordaces aculei, operti laquei, lappæ herentes, latæ angustiæ, dolosæ blanditię, latebræ inextricabiles, salebræ verticosæ, spirantes exequiæ, securæ insidiæ, te-

nebræ luculentæ, vadosa littora, tecta labentia, longa suspiria, violenta vincula; Circæa pocula, hospitia Cyclopæa, latronum insulæ, Diomedæa stabula, Lapitharum conuiuia, Phaëtontia plaustra, Dædalea spectra, Icaria præcipitia. Hoc est vita nostra, cùm recogito, hoc agimus, hoc amamus, hanc plusquam prodigiosam varietatem in dies experimur. Verùm, Beatiss. Pater, vt veriùs aliquid, & magis ex meo sensu, dicam, B. Francisca tam multos Pontifices præteruecta Romanam Aquilam expectabat, quæ supra casus, supra fortunam, supra lethi inuidiam, supra temporum peruersitatem, supra obliuionis insolentiam, supra difficultatum omnium volubilitatem intrepida præteruolaret. Illi Dauides, sanguinarijs suorum temporum tragœdijs, inquieti; partim schismatum immanissimis tēpestatibus agitati, partim bellorum ciuiliū inusitatis tumultibus implicati, partim Galliæ miseræ conquassatæ periculis occupati, materiam illi quidem, & cęmēta, iussu diuino, compararunt: at pacifico Salomoni, pace iam toto orbe Christiano stabilita, tranquillo, Pontificatu verò pacatissimo, & innocentissimo, singulari clementia, cunctis amabili, hoc sacrosanctum sanctificatæ B. Franciscæ S. Spiritus templum extruendum, admirabili quadam prouidētia, reseruauit. Quos ritus, quam pompam, quos triumphos, quam magnificentiam, quam huius Pontificatus felicitatem, quod istius seculi ornamentum, quod Angelorum solenne spectaculum patiatur me sua Sanctitas per Panegyricū breuiter posteris commendare, ne tam Regia, tā splen-

dida, tam diuina celebritas, aut vnius vrbis Romæ pomœrijs interclusa, aut vnius Italiæ lætitijs comprehensa, aut istius seculi memoria circumscripta coarctetur.

OMNIVM ORDINVM AD PIRAM IN APOTHEOSI FREQVENTIA.

VLTIMVM QVOD Alexander in profana Apotheosi iactabat, memini fuisse omnium ordinum, Cōsularis, Senatorij, Equestris, & aliorum, qua laticlauo, qua senatoria purpura intermicantium, magnam frequentiam, qui triumphali busto frequentes adstabāt. Nos, vt in omnibus, ita in hoc maximè, toto cęlo, vincimus, itáque vmbratilem illum Romæ veteris fastū retundimus, & perfectè calcamus, vt illa præ nostris ludicra, & theatrica, & puerorum iocularia præludia fuisse videantur. Nam illius frequentiæ tonsæ, veteri more, & discalceatæ loco, nos purpuratorum Patrum tot celebres consessus, ad B. Franciscæ consecrationē denique disceptandam, sanciendámque; innumerabilium præsulum operam eôdem allatam; omnium Ecclesiæ ordinum ingentem multitudinē, qui sacræ pompæ interfuerunt; totius Romanæ nobilitatis concursum mirabilē, & quod caput est, omnium nationū, non iam dico vnius vrbis Romæ, lectissimam nobilitatem, præcipuam magnificentiam, spectatissimam concursionem afferimus, vt ad hanc pompā, cui diuino munere, ego quoque interfui, non vnam maximā vrbem, sed totum, qua latissimè funditur, orbem confluxisse mihi verè magis, quàm oratoriè videar esse dicturus. TANDEM aliquando igitur, Clemente ægris hominibus ablato, suique dulcissimo desiderio, tota Christiana immensitate, relicto, Tresviri illi Rotę Auditores,

ditores, quos modo dixi, egregia, ac felici subsortitione cęteris subrogati, Franciscus Penia vir vndique maximus, & grauissimus, Horatius Lancellottus, & Ioan. Baptist. Pamphilius, iussi de integro fuerunt à Paulo v. Pont. Max. instinctu, supplicatuque populi Romani, grande operæpretium ad operis fastigium attollere, & quod iam illorum pensi reliquum esset, maturè absoluere. Illi ad III. Idus Aprileis anni salutaris M.DC.VI. ad suam Sanctitatem primùm exactè de tota sacra quęstione retulerunt, tum postea ad Sodalitatem sacrorũ rituum, quæ ex Cardinalibus constat, iussu Pontificio, ad VI. Id. Augusti eiusdem anni; tota disceptatione, vti moris est, in scriptis tum suæ Sanctitati, tum sodalitati rituum in manus data, cum apta, & rite digesta, & suis probationibus autenticè, & solenniter firmata serie miraculorum. Re morosissimè, &, vt ita dicam, fastidiosissimè, certè quanta maxima humanitus potest, diligentia, pertentata, Illustrissimi sacrorum rituum Cardinales negotium propiùs, & cominus aggressi, sedecim consultationibus super ea re, diuersis temporibus, habitis, studijs, dictis, scriptis, atque actionibus auditorum omnibus à principio sus deque versatis, denique decernunt in omnibus diligenter, exactè, iure, & legitimè actum videri: acta omnia iuridica, omnem quæstionem ritè instructam, de vitæ sanctimonia, excellenti fide, rerũ naturã transcendentium effectione, in B Francisca manifestò constare. Qua rogatione sua Sanctitas denique accepta, sancit ad extremum, vt omnium Cardinalium, qui Romæ tunc es-

ſent, quibúſue vacaret, ad omnem penitus ſcrupulum, & dubium reuellendum, concepta, conſuetaque in re ſimili, conſiſtoria (noua enim nouarum rerum vocabula vſurpare cogimur, qui veteribus indigemus) haberentur. Tria omninò rituales codices Romani fieri decernunt priùs, quàm ad ſolemnem conſecrationis ſententiam deueniatur, quæ ſumma religione ad hunc modum habita ſingillatim fuerunt. Primum priuatim, extráque omnem frequentiam indictum eſt, ad diem Lunæ IV. Kal. Maias, anni decurrentis adulti M. DC. VIII. in quo Dominicus Pinellus ſacri Senatus princeps, ac Decanus, Epiſcopus Oſtienſis, ex ſodalitate ſacrorum rituum, ætate, & experientia, prouectiſſimus breuiter ad Diuinum Senatum, latinè, de tota quæſtione grauiſſimè, atque ampliſſimè retulit; Beatæ vitam expoſuit; ſanctitatem notauit; præcellẽtem fidem confirmauit; miracula exquiſitiora perſtrinxit: quam ego relationem poſtmodum elegantiſſimis typis editam, & ſolis Cardinalibus communicatam, beneficio Illuſtriſſimi Cardinalis de Giury percurri, peruolui, & quæ indubitatę fidei, & firmitatis eſſent, ſingillatim notaui, accuratè contuli. Hac relatione abundè ſacro cœtui ſatisfactum, viſumque collatis, rogatíſque ſententijs, ſummo Pontifici, ſi veller, vlterius progredi licere. verùm ampliùs dicendum cẽſuit: ad alterum Conſiſtorium publicum, & ſolemne, ad diem Martis, VI. Nonas Maias dictum, procraſtinauit, cui ego quoque, quamquam, præ ingenti mortalium concurſu, ægrè interfui. Ibi ſolenni ſalutatione

Pontificis à singulis Cardinalibus, qui frequentissimi, cũ maxima aliorũ Præsulum omniũ ordinũ affluentia cõuenerant, incredibili maiestate, rite peracta, Hieronymus Rossius nobilis Romanus, Aduocatus Consistorialis, Orator ea parte populi Romani, orationem Latinam, non modò elegantem, & grauem, sed benè longuam, ex æquo habuit, sermone ad summum Põtificem conuerso, qua B. Franciscæ exquisitum vitæ genus, morum sanctimonia, & res cum miraculo patratæ continebantur. Eaq́ue tandem perorata, Orator suæ Sanctitati genibus obuolutus, nomine Populi Romani, B. Franciscæ consecrationem summisè deposcit. Hîc Petrus Strossius à secretis domesticis, eius imperio, ad ipsiûs latus assurgit; tum oratione breuissima illa quidem, verùm, ad meum saporem, admodum tersa, & neruosa, & graui, postquàm verbo negotij ingentem difficultatem exaggerasset, denique respõdet, gratam, iucundamq́ue suæ Sanctitati postulationem accidisse, ob rei tamen ingentissimam molem, quo ea consultiùs ventiletur, superûm diuina vis exoretur, supremiq́ue numinis imprimis occulta sententia, ad ipsius gloriam, Ecclesiæq́ue Catholicæ propagationẽ, omni ope exploretur; omnes vti Cardinales qui tum adessent, cæteríque Præsules, pijs largitionibus, sacris inedijs, assiduis precationibus sese totos dederent, suam Sanctitatem censere, consciscereq́ue. Itaque, postremò purpuratorum Patrum consessu priuatim publico, & publicè priuato (semipublicum appellãt) operi extrema coronis apposita. Ha-

bitus fuit, ad XII. KAL. IVNIAS. Fores non modo Cardinalibus, quod solenne, & vsitatum, & ordinariũ est, apertæ, qui vndetriginta tum aderant, verùm & cæteris Præsulibus permissæ (vnde semipublico Consistorio indita appellatio) in qùibus, vnus Patriarcha, quinq; & triginta an Archiepiscopi, an Episcopi, prçterea plerique Protonotarij Apostolici, eorum enim propriè id negotij interest; postea Rotæ Auditores, Magister sacri Palatij ex Florentissimo Dominicano ordine, tum qui à secretis nonnulli, & fiscalis, quem vocant, Actor, intererant; cæteraq; omni turba summota, foribusque conclusis, tum sua Sanctitas, quod omnes, qui adfuerãt iucundissimo quodam sensu recentis voluptatis commemorabãt, Angelica illa, qua semper solet, maiestate, maximo decoro, & incredibili sensu pietatis, afflatu Pontificio, succinctam, & grauem orationem, ad consessum amplissimum habuit, ab illis Regij psaltis versiculis exorsa, *Mirabilis Deus in sanctis suis, & sanctus in omnibus operibus suis.* Quç cùm in thesi primùm, tum in B. Francisca, mira breuitate, tribus capitibus, vitæ sanctitate, fidei excellẽtia, rerum mirabilium effectione ostẽdisset, ad vltimum, quo opus extremam maturitatem acciperet, omnium sententias rogauit. Post hæc singuli viua voce, spectata grauitate, Cardinales primum, tum cçteri Antistites, ætatis prçrogatiuo ordine, sententias dixerunt, in quibus Spartanus Archiepiscopus Græcus, qui recẽs Romam appulerat, vt Summo Pontifici obtemperaret, Græcè dixit, vnâque statuit posse Frãciscam in Sancto-

tum album censeri. Quibus calculis accuratè collatis, conceptisque, sua Sanctitas denique Pontificale decretum pronunciauit, B. Franciscam in Sanctis imposterum solemni ritu adnumerandam videri. Hîc fiscalis actor Prosper Farinacius, Protonotarios Apostolicos primùm, tum aliquot à secretis obnixè rogauit, vt illius publici Conuentus Cardinalium, Patriarchæ, Archiepiscoporum, Episcoporũ, & cęterorum antistitum vnam, pluresue publicas tabulas expediret, quem ad finem Protonotarij Apostolici, vt illi alij à secretis, Consistorijs eiusmodi adesse solent. Auditores quoque Rotæ insei sunt, illi præsertim, qui ex officio causam cognouerunt, vt omnibus dubijs, & difficultatibus, si quæ interuenirent, ad respondendum præsto sint. Tandem sua Sanctitas ad extremum est impensissimè adhortata, vt maxima, quàm vnquã, sacrarum precum, inediarum, & piarum donationum frequentatione, diuinum numen precarentur, ne in re omniũ grauissima, Ecclesiam suam sanctam errare, neu circumueniri Pontificem sineret. Diem porrò consecrationi dicendum sibi interim reseruauit. Nihilque amplius patres moratus consessum soluit.

Interea operæ ad apparatum tempori maturandum vndique superbo delectu expediuntur. Locus consecrationi dicitur, qui solet, Augustissimum templorũ Vaticanum, Octauum orbis, si qua alia septem fuerũt, hoc digna nomine, non poëticè iactata, miraculum, cum omnibus, vel iudice inuidia, decertaturum. Ne verò, vbique hæream, hoc tantum dicam, & pace to-

tius dicam antiquitatis, hoc Pōtificio opere, quidquid veteribus aut verè de templis, aut fabulosè exaggeratum est, ingenti interuallo superari; idq́ue mea sententia, vnum artis opus esse, quod ego in Italia adspexi, lapidariæ artis prodigium, Christianæ magnificentiæ specimen, Italiæ solemne spectaculū, vrbis triumphale trophæum, summorū Pontificū perenne, & æternū, & vltimum cum orbe exarsuro, deflagraturum monimentum: in quo vt excitatus apparatus vno veluti oculo postea cerni possit, hoc semel dicam, id quod hactenus eius diuinæ molis exstat perfectum exactæ crucis speciem referre: quare Principes quatuor fornices ingentes auro vndiq́ue, vsque ad stuporem fulgentes, ad quatuor immanissimę densitatis, & stupendæ magnitudinis pilas, quasi ad centrum terminari, quarum quatuor immensarum molium soliditate, illud verè maximè mirabile omnis memoriæ, omniū seculorum, omnium nationum, omnis artis, omnium ingeniorum manupretium Tholus, quem Itali coupolam appellant, sustentatur, qui summum altare Apostolorum, ad perpendiculum, tabernaculi instar supernè exornat; mirè ex quatuor crucis spatijs, totaq; præcipua templi capedine infernè aspectatur: ita altare Apostolicum, vbi Pontificium consecrationis sacrum est habitum, quasi crucis Augustissimi templi centrum facit. Præter hęc, eximia corona toto templo regnante, omnes fornices eleganti artis opere veluti subnituntur, quę æquis, & immensis anfractibus, æqualiter fornicum flexionem singulari venustate

ſubcingit. Iam vt inde, vbi omnia, ſub illa Tholi pulchritudine, tranſigi myſteria oportebat, turbæ arcerentur, ſimul vt ſuæ Sanctitati, & ſacro collegio tuta ſtatio eſſet, ſpectatoribus ad hæc vt ſua ſepta diſcreta, aptaq́ue non deeſſent, ecce quanta ſolertia, quàm ingenti ſumptu Populus Romanus pompæ author, princepſq́ue prouiderat. Primùm ad grandius crucis veluti interuallum, quod inſtar habet areæ maioris, qua in templum extemporaria maiori porta ingreſſus eſt, ſtatim cancelli in introitu primores, ex ſolido ligno, in tranſuerſum excitantur, trium ac centum palmorum longitudine, altitudine ſeptem, quorum in medio vnicum oſtium Heluetiorum armatorum cuſtodię, ad primas vulgi tempeſtates frangendas, deſtinatum. Inde ſex vltrà paſſibus, alij cancelli in directum iniecti, abſque oſtio, ante ſacellum Gregorianum, ne inde in prima repagula vulgus erumperet: Paulò ſuperiùs, verſus altare, item in tranſuerſum ferè centenûm denûm palmorum interſtitio, alij obiecti clathri obtenduntur, trium centenũ palmorum longitudine, vbi ſuus adpoſitus aditus, ad ſummouendam confuſam multitudinem, ab Heluetijs pariter obſeruandus. Ita hoc principe veluti Crucis templi latere bellè duplicatis clathris munito; ad duo brachia altera, quæ in tranſuerſum extenduntur, bini alij ingentes qua ad ſiniſtram, qua ad dexteram, altaris ſpatio inter quatuor maiores Tholi pilas emenſo, ſeptem pedum altitudine, trium ac centum longitudine, tumultui ſimiliter circumfuſo, abſque oſtio, obuertuntur: ad cru-

cis caput, versus extremam fere partem fornicis superioris, vltra altare, longissimo fere quinquaginta passuum interuallo, eminens illud, & sumptuosum opus duodecim marmorearũ columnarũ miro artificio intortarũ, quæ ex templo Salomonis quondam adsportata fuerunt (quo in transuersum crucis illud spatium cingitur) speciem cancellorum, plusquam regio luxu, opulentorum referebat, itaque recens candelabris ad cæterorum formam effictis instaurarum fuerat, vt operis pars inscijs putaretur: tum tribus postremò à me cõmemoratis cancellis ita respõdebat, vt illi quatuor sacris maximè arderent funalibus. Interim ne ea parte peruia sint omnia, maxima interualla, quæ à Tholi superioribus duabus pilis, ad illud augustissimũ columnarũ opus, per duas minores fornices interijciuntur, suis cancellis, læua, dextraque in directum prohibentur, septenûm pedum altitudine, longitudine quinquagenûm octonûm. Ac meo ouili ita descripto, quę theatra in meditullio, ad operis præcipuam opportunitatem fuerint substructa, verbo me expedio. Supra Principem Apostolorum aram, septum, theatri specie, sensim ab ara versus crucis caput, quatuor humo, qua altissimè palmis assurgens, ad centum, & viginti pedes in longum, ad duo, & quinquaginta in latum protenditur, panno viridi omni ex parte circumuestitum, vnico ostiolo, eoque binis clathris munito, relicto. In extremo huius, an septi, an theatri, è regione altari obuersa, qua humo maximè attollitur, solium trina facie, quatuor magnis gradibus

dibus panno rubro ornatis, à reliquo theatro excitatur, capiendæ pontificiæ ſedi adornatum; cui ad dextram ſedile purum, ac planum proſtabat Cardinali Epiſcopo Adſiſtenti excipiendo adpoſitum. Solio, recenti opere, Populi Romani ſumptibus, vt & reliqua omnia, vmbella opulẽtiſſima ſuperaddita, ex ſerico rubro, Beata Franciſca paſſim effiᷝcta interiacente, fimbrijs aureis, ſericiſq́ue circumfluentibus. Ad ſolij læuam, dextramq́ue, qua in longitudinem Pontificium theatrum deprimitur, gemina vndique ſubſellia ducuntur; anteriora hinc inde Cardinalibus, poſteriora ad dextram Epiſcopis, ad læuam Protonotarijs Apoſtolicis, aliiſq́ue eius generis Præſulibus apparata. Dextrâ, ſtatim, vbi Cardinalium ſeries deſinebat, alterum depreſſius aliquanto ſolium, vbi ad ſacram Liturgiá, & ad cęteram rituum varietatem Pont. Max. ſacram veſtem mutet, tribus gradibus, panno item rubro veſtitum, elatum quinque palmorum altitudine, longitudine quindecim, tredecim latitudine, infrà ſpectatur. Proximè, verſus principem aram, eodem ex latere, opportunè paruum altare ſumptuosè componitur, nouem palmis longum, ſex latum, altum quinque duntaxat, vbi ſacra munuſcula, de more, celebranti offerenda, apponuntur. Non longè ad latus altaris maximi, huic ſimile alterum, magno ſplendore, non abſimili magnitudine, compoſitum magnificè erigitur, capiendis ingentibus vaſis aureis, argenteiſque, ad aquam ſummo Pontifici ſacris operanti fundendam. Huius è regione, ad læuum magni altaris latus,

huius nõ absimile alterum sacratiora, ad rem diuinam peragẽdam vasa complectitur. Maximum altare duodecim argenteis Apostolorum signis spectandæ magnitudinis, totidemq; argẽteis ingentibus candelabris inauratis interim exornatur, sic vt auro omnia, argentóque splendescerent. Hæc de septo Pontificio, opinor, quantum est satis. Huic ad sinistrum latus, seorsim theatrum pro Cantoribus, decem altitudinis palmos, viginti longitudinis, nouẽdecim latitudinis habebat suis aptè cancellis marginatum, vnde sua peristromatum ornamenta pendebant. Huius ex aduerso aliud magnum septum pontificio vno palmo depressius Clerum Romanum, maxima grauitate, & ingẽnti numero visendum excipiebat. Ad dextram, læuamq; Pontificis, duo alia maximè illustria theatra, per gradus sensim elata, Amphitheatrorum in speciem, præ cæteris nobilitati Romanæ ad spectandum prostabãt, læuum viris, dextrum mulieribus cedendum, nisi hac matronæ Romanæ noua gloria, iusta mulierum curiositas, vtrumque tempestiuè obsedisset, virósque idcircò adegisset, qua in cantorum ouile, qua in Clerichorũ, qua in Cardinalium, suæq́ue sanctitatis adyta, vt cuique expeditum erat, certatim adrepere. Hoc situ concepto, facile animus suspicatur, quàm singularem venustatem funalia cerea toto templo disposita adferrent, de quibus vniuersè, omnia ex candida cera, omnia maioris, quàm vsitatæ magnitudinis, omnia candelabris ingentibus opere lignario fabrefactis, foris penitus argentatis imposita, numero vero penè in-

numerabilia fuisse. Primùm è Romano Clero, qui separato, vt dixi, loco stabat, quisque ingẽtem eiusmodi cereum manu gestabat; tum tres maiores illi cancelli trium sacratioris adyti laterum, & quartum duodecim Salomonis columnarum, tu quintum ad Gregorianum sacellum, sua in altum lumina longis ordinibus attollebant: illa, quam memorauimus corona sola, qua intra templum, infinitis amplexibus, omnes fornices portãtur, ornãturúe, pilæ verò illæ quatuor Tholi immanes coronãtur, quadringenta eius generis funalia, æquis spatijs, vniuerso templi interiore ambitu, præferebat; dein an in summo præcipuarum templi pilarũ, bina, an in quatuor maximis, quatuor ingentium aliarum loculamentis, plusquam alia quadringẽta micabant: præter hæc, in minoribus omnium minorum altarium, & pilarũ capedinibus, atque super omnia columnarum epistylia, quæ incredibili numero tota æde visuntur, alia, numero incerto splendebant: demũ qua maximi quatuor templi fornices ad Tholum quatuor illis pilis veluti rotundantur, terminanturq́; quatuor accurati operis ingenteis lampades, singulæ ex singulis extremis fornicibus, inter binas pilas, ad perpendiculum propendebant, palmorum quadraginta altitudine, & sexaginta per ambitum, triplici veluti decussata facie, triangulari forma, angulis bellissimè ad imum in conum consociatis, ad summum in volumen exactè in sese reflexis, areola ad cereorum opportunitatem, ad fastigium sese commodè ostentante; omnia eleganti pictura egregiè locupletata;

ſingillatim ad ſingulas facies, qua B. Franciſcæ expreſſis imaginibus, qua Pontificis, qua populi Romani inſignibus auro, argentóque præclaris. Ex ſingulis huiuſce molis lampadibus duodecim argentatæ lampades appenſæ, non oleo, ſed candidiſſima liquata cera ſemper ardebant; duodecim item candelabra in ſingulis, ad areolæ margines, duodecim inflammatos cereos, pari cum cæteris pondere, ſuſtinebant; ſic vt non totum interius templum vndique deflagrare, ſed ſtellatum cælum, ſereno, & terſo cælo, conſecrationi B. Franciſcæ obſecundare, & collucere videretur. Cætera Apoſtolicæ ædis ornamenta, incredibile dictu, quàm tenerent, caperentque ſpectantium oculos. Primus Baſilicæ aditus, quâ in maximam Vaticani aream, cùm primùm marmorei gradus conſcenſi ſunt, proſpectus eſt, tum illius veteris Apoſtolorum templi aliæ tres portæ, quæ poſt primam, ſupra pinum occurrunt; tres item imprimis maiores noui ædificij, vbi pompa ſpectanda, omnes elegantiſſimis coronamentis exornatæ oculos capiebant. Ruſticani imprimis negotij columnę vario frondium genere connexitę, pictarũ cartharum varietate lemniſcatæ; faſciæ deinde eodem frondoſo opere coronatæ; eucarpi, omnis generis exquiſitorum fructuum ſimilitudine, ingenioſiſſimè efficorum intexti, lemniſcis aptè, ſuis locis, ſtringentibus, fluentibúſque; omnia inſtar arcuum triumphaliũ, & trophæorum ad veterum ludicram imitationẽ, vniuerſum illum extimum ornatum componebant; prę-ter, quòd in ſummo horum, quæ deſcripſi, faſtigio, ad

ſingulas portas, B. Franciſcæ pictura ſex palmorum, tum hinc inde Pontificia, & Romana, & Collegij Canonicorum Vaticani expicta inſignia prominebant. Intus, in templo, per totum illum vaſtiſſimum parietum, & pilarum ambitum, præcipuo ornamento erat perpetua faſcia, altè humo octoginta palmis elata, mille trecentorum pedum longitudine. Ea varijs picturę delicijs, certis interſtitijs opus aptè partientibus, præter intermedias penicilli ſapienter errantis, quaſi fortuitas artis, & Chymericas circumcurſationes, præcipuè B. Franciſcæ imagines, Pontificia, & Romana inſignia cõplectebatur: ſusdeque, in latitudine, frondoſo cinctu, expictis chartis, & aurichalco, lemniſcorum loco, ad varietatem circumplicatis ornabatur. Ea ex faſcia, ad terram vſque, inuſitata pulchritudine admirandi quatuor periſtromatum diuerſorum ordines vnus ex alio, tota eadem templi interioris amplitudine fixi, egregio ſpectaculo tendebantur: qui quatuor maximè ex generibus conſtabant, ex varijs plumariæ artis exquiſitis operibus; ex tela aurea, argenteáue; ex panno opere damaſceno, Attalicóque elaborato; & ex ſerico villoſo; omnia diuerſiſſimorum colorum. Verùm hac parte miraculo erant quinque tapetes noſtrorum Gallorum Regum inęſtimabilis pretij admiranda donaria, ex ſolo auro, ſericoque contexti, tam raro, ſtupendóque artis ingenio, adeo viuis, æterniſque coloribus, adeò perfectis, loquíque, vt ita dicam, laborantibus lineamentis, elaborati, vt eò nulla penicilli quantumuis Apellei vis accedere poſſit. Europæ

credo ego operæpretium, & immortale pietatis nostrorum Principum monimentum. vnum Christi extremùm cum Apostolis diuino epulo cænantis supra valuas, intra templum, vndique spectandum appenderant; reliquos quatuor Christi nascentis, resurgentis, ascendentis, diuinum pneuma in Apostolos immitentis, opportunis quattuor locis exposuerant, scilicet quatuor ingentibus pilis, quibus Tholi rotunditas sustẽtatur, quo ferè ambitu, Põtificium adytum, vbi omnia consecrationis mysteria peracta sunt, claudebatur. Cæterum quatuor illæ pilæ quatuor maximis loculamentis ornantur in fronte, tum superiùs, versus arcus Tholi, quatuor alia minora maioribus quatuor respondent. Inferioribus maximis vastæ magnitudinis, quatuor B. Franciscæ tabulæ, tricenorum senûm pedum altitudine, locatæ erant, quibus aliæ quatuor paris magnitudinis, inter pilas, sub fornicum arcubus, ad quatuor interiores, quos supra dixi, cancellos defixæ respondebant. In superioribus arcuum minoribus loculis, duobus quidem sanctorum Apostolorum Petri, & Pauli, reliquis Angeli B. Franciscæ tutelaris tabulæ viginti Palmorum altitudine sitæ erãt, ne quid omninò vacuum ab ornamento, toto illo cõplexu, relinqueretur. Ac mea sententia, elegantiam cæteris, quæ commemorauimus, non vulgarem afferebant quinque vexilla opportunè, commodo prospectu, suspensa, quæ in speciem labari quadrata, super serico rubri admodum coloris, depictam B. Franciscę effigiem, eiusque tutelaris Angeli, cum Pontificijs, &

Capitolinis insignibus referebant. Vnum paulò cæteris maius octodecim pedum altitudine, duodecim latitudine, commodè ex Tholo, ad perpendiculum supra Apostolorum altare demissum volitabat: cætera quatuor, quatuor pedibus depressiora, strictiora tribus, præcis, crucis forma, disposita, ad quatuor principes arcus, quatuor Tholi pilis interiectis, vbi quatuor principes totius templi testudines, versus aram Apostolicam, terminantur, æquis spatijs pendulo, ac libero pondere cadebant. At pretium huius exterioris apparatus, meo calculo, meóque iudicio, super omnia huc vsque, recenti opere adornata, ornamento Apostolici altaris externo debetur; nihildũ enim de Regia magnificentia sacræ vestis, quæ diuinis inseruit, attingo. Ingenti primùm vmbella vniuersam aram quatuor, & triginta pedũ in quadrum opportunè texerunt. Materia serica rubra dibapha exquisiti operis, pendentibus aureis, ac fericis mixtim fimbrijs; pictura multo auro ornata, frequenter Beatæ, æquis interuallis, imagines referebat insignibus Pontificijs, & populi Romani implexis, insertísque: corona desuper lignea ornando operi vndique auro effusè aurata prominebat; quatuor itidem veluti columellæ suffulciendæ vmbellæ erectæ, totæ in magnam altitudinem auro circumtectæ surgebant; singulariter quatuor candidi Angeli, ad colosseam formam, octodecim pedum altitudine elati, vim incredibilē auri exhauserant; nam super vaga, fluxáque veste mero albo imbuta, cæterũ ita appositè Attalici cuiúsque panni varietatem, puro

auro, omni ex parte, ingenti profusione, superiecto, expresserant, vt magnam opulentiam ostentaret. Cómodùm omnino eo loci occurrerant, ea forma, eoq; ornatu angeli, cùm omnia in isto negotio tutelaribus Angelis, picturæ omnes, vexilla, ornamenta pręcipua, parietes templi, portæ omnes, porticus, vestis sacra vndique abundarent. Porrò quisque horum quatuor ingentium Angelorum aliud labarum volaticum, militari forma, sericum, rubro dibapho splendidum, cum B. Franciscæ, & tutelaris ipsius Angeli expressa figura, insignibus Pontificijs, & vrbanis de more adiunctis, magnifica specie, circumferebant.

IAM Age, aliquando ad intima illa, quibus diuinum cœptum auspicatò perfectum est, nos inferamus. Populus Romanus, cui incumbebat sumptus conferre, commodùm accurauerat, vt omni Regio apparatu, sacra ornamenta imprimis, destinato artificio, & proprijs operis tempori compararentur. Regium spectatu erat, & supra quod verbis exprimere possum, adspectabile: vestis sacra omnis, tum ad consecrationis diuinas cæremonias, tum ad Augustissimũ Missæ sacrificium à Pontifice celebrandum necessaria, vnius materiæ, vnius operis, vnius artis, vnius ingenij, vnius opulentię erat, spectabili conformitate. Chlamys, & casula Pontificia, cum chlamide Adsistentis Cardinalis, & tunicis duorum Cardinalium subdiaconi, diaconíque, Pontifici adstantium; diaconi item, & subdiaconi tunicis, quorum partes Epistolam, atque Euangeliũ Græcè decantare, vt in sacris Pontificalibus assueuit; Pari

pari omnia magnificentia, & pari venuſtate nitebant. Vniuerſum opus Attalicum ingenioſiſſimè elaboratum, auro vel ſubſidente, vel omnia figurante, vel opus delicatiſſimo artis inuento criſpante, ſumptuoſiſſimè intertextum: figuræ, ne quis adſcititiũ opus putaret, B. Franciſcæ, & aſſeclæ Angeli effigies, ſummi Pontificis, & Romani populi inſignia, præter infinita eius artis, opportunis parergis, florum, & fructuum, & vaſorum, & rerũ eiuſmodi oblectamenta; operæpretium Pontificio theſauro, vbi poſtmodum reponi omnia eius generis, ad facti perennandam memoriam, ſolent, digniſſimum. verùm oculi iam illa ſua illecebra nimis curioſa tandiù ſpectando dolent, animum ſuis quoque interioribus ſpectaculis, ipſo conſecrationis ritu propiùs, interiuſque ſpectato paſcamus. Ergò omnibus ad hunc modum tempori, ad externum decus, adornatis, ipſo Iouis die, proximè Pentecoſtes ſolemne feſtum conſequẽte, ad quartũ calendas Iunias, qui coronatæ quoque veſtræ Sanctitati anniuerſarius proſperè illuxerat, à ſolemniſſima omnium, quæ eſſe Romæ poteſt, ſupplicatione negotium auſpicatiſſimè inchoatur. Summo mane, hora, Gallico horologio, præcisè quinta; Italico, circiter nona, ſacrum Collegium Cardinalium, Patriarchę, Archiepiſcopi, atq; Epiſcopi, in Palatium Vaticanum, ad Sixti ſacellum cõueniunt: poſt paulum, veſtra Sanctitas tum ad cætera; tum ad omnia id genus, ad expergiſcendum, omnium vigilantiſſima, per abditiores, & occultiores ſcalas, eòdem priuatim gliſcit; inibi veſte in id apparata veſti-

tur; tum illustrissimorum Cardinalium circumstante corona, modulatè in parthenium hymnum, vt mos est, prima, vniuersæ supplicationi præcinendo, erumpit: interimque dum primus versiculus decantatur, sua Sanctitas genuflexa duos ingentes, & bellè ornatos cereos dari mandat; vnum Francisco Contarino nobilissimę Reipublicæ Venetæ, alterũ Carolo Costæ serenissimi Ducis Sabaudiæ Oratoribus. Nam Henricus à Neufuille Dominus d'Alincourt, modò Lugdunensium gubernator, superioribus verò annis, Henrici IV. Regis Christianissimi, atque, ex omni Regum nostrorum memoria bellicosissimi, gloriosissimi, clementissimi Orator, tũc ante mensem dumtaxat, ad fruendos sibi à Rege delatos honores amplissimos, Galliam repetierat: vir perpetuo vniuersæ vrbi sui desiderio, æternáque relicta memoria, tum omnibus Italis, tum vniuersæ nationi Gallicæ eius absentiam impatientissimè ferenti desideratissimus; felicissima verò, & celeberrima, & omni parte magnifica (pace Veneta præsertim, alijsque egregijs facinoribus) si qua vlla esse potest, legatione gloriosus, ingentibus porro obsequijs, Christianissimo Regi, toto eo tempore, & toti genti nostræ exhibitis, fastis egregiorum Regum nostrorum Equitum, cum grata posteritatis admiratione adscribendus: quem audeo dicere, ex his, quæ ego de illo Romæ vidi, illum vnum ad summæ huius celebritatis cumulum defuisse: præterquàm enim Regem nostrum, omnium terræ habitabilis Regum maximum, Ecclesiæ certè Catholicæ vni-

Aue Maris stella.

cum,certissimumque,omnibus seculis,à Regno condito,propugnaculum repręsentabat,quo ad illum primi cerei,primíque,sine controuersia,Regios inter Oratores loci ius pertinebat : aliunde Orator ipse, tanta dexteritate, tãtáque maiestate, huiusmodi in rebus, Romæ antecellebat omnibus,vt nullo negotio ex Oratoris grauitate, atque præstantia , quantum ille Regem referret, vel ex ipsa quotidiana ratione agendi, dignosceretur. Ex quo exiguo patriæ gloriæ diuerticulo, supplicationẽ iam,primo exacto versiculo, procedentem, piè, vt par est, admirabundi prosequamur: statim enim sua Sãctitate,cereo minori sibi reseruato, Põtificię sellæ,de more,ob intolerabiles turbas,tumq; ad Maiestatem,imposita,vniuersa corona Cardinaliũ, Pręsulumque portam Heluetiorum versus, mouere cęperunt , toto interea Romano clero, vniuersísque Religiosis ordinibus, qui in inferiore Palatij area , innumerabili penè multitudine, operiebantur, circum maximam aream, quæ ante Vaticanum latè protenditur, pręire iussis, donec certo interuallo ad veterem Apostolorum ędem appulsis cõdictum est, vt sisterẽt omnes suo vestigio, geminísque hinc inde ordinibus expeditam sacrę pompæ in medio viam aperirent, ne Clericorum, & Religiosorum ingenti illo numero tẽplum vel compleretur, vel turbaretur. Igitur per medium clerũ,medioſque Ordines Religiosos pontificalis comitatus, hac pręcisè seriè incedebat, in quo nullus omnino, nec Cardinalium, nec Pręsulum, nec Pontificiorum, nec aliorum penitus, absque candido ce-

reo visebatur.

Cubicularij extra muros rubro induti.

Tubicines.

Regularium ordinum Procuratores.

Cõsistoriales Aduocati, & qui à secretis, violaceo ornatu.

Cubicularij honorarij, & interiores, item rubro colore vestiti, & cucullati.

Populi Romani Prior, cum magno vexillo B. Franciscæ effigeum referente: ipse, senatorio habitu, veste aurea insignis, vtrinque Cancellarijs Capitolinis comitatus, qui veteri veluti tunica, & toga, partim ex villoso serico violaceo, partim, ex panno aureo vestiebãtur.

Suæ Sanctitatis Capellani rubrum induti qui Pontificios Tyaras, præ manibus, opulento spectaculo, præferebant.

Cantores Pontificij violacei qui superiorem hymnum insigni harmonia prosequebantur.

Alij à secretis, Breuiatores, quos vocant, & Accolyti, item rubri omnes.

Auditores Rotæ pullati, & magister sacri Palatij ordinis Prædicatorum.

Subdiaconi Apostolici, cum altero Accolyto, qui Thuribulum gestabat.

Septem Accolyti, qui septem eximij ponderis candelabra argentea, ardentibus cereis, circumferebant.

Subdiaconus Tunicatus Epistolam decantaturus crucem ferebat, duobus ministris, vestitu rubro, eius latera cingentibus.

Pœnitentiarij Apoſtolici Caſulati è Societate Ieſu.

Abbates cum Chlamydibus infulati.

Archiepiſcopi, atque Epiſcopi, eodem ornatu.

Cardinales Diaconi, cum Tunicis, infulati.

Cardinales Præſbyteri, cum caſulis, infulati.

Cardinales Epiſcopi cum Chlamydibus, infulati; omnibus porrò quos commemoraui cerei maioris, quàm iuſti ponderis ex cera candida in manus dati.

Proximè ecce iam, qui pontificiam ſellam circumſtabant, ſtipabantúe. Poſt Cardinales continuò Apparitores Clauigeri Pontificij, qui clauas argenteas humeris ſuſtentabãt; deinde Conſeruatores Capitolini pompæ authores, tum ſereniſſimi ſuæ Sanctitatis germani fratres; pòſt vrbis gubernator Benedictus Ala ſuccedebant.

Proximi omnium, Duo Cardinales Diaconi Tunicati, & Infulati, qui ſuæ Sanctitati ſemper adſiſtunt, atque horum intermedius tertius Cardinalis Diaconus eodem veſtitu Euangelium decantaturus.

Duo Oratores, quos principio memorauimus, Venetus, & Sabaudus, qui coràm ſua Sanctitate, geminos ſolemnes cereos oſtentabant.

Super omnia, ſua Sanctitas ſublimis in ſella geſtata, ſub vmbella, quam aliorũ Principum Oratores viciſſim fulciebant, duobus flagellis ingẽtibus, ad obuias turbarum, & cæli arcendas iniurias, hinc inde elatis, ipſa, vt in re maximi omnium momenti, profundiſſimis precibus defixa, inter omnes, tranquilliſſimo, at-

que intentissimo adspectu, apparebat.

Porrò Pontificem sequebantur duo Cubicularij ex intimis, & honoratissimis.

Protonotarij Apostolici suam Sanctitatē proximè circumstantes, Prælatorum ornatu, tunicula linea, habituque reliquo violaceo.

In medio Franciscus Penia Decanus Rotæ, ad quem idcircò spectat, Tyaram Pontificis, quoties illi adimitur, tenere.

Post hos sequebantur Præpositi Generales ordinū.

Prętcr hęc, dextra, lęuáque, Heluetiorum cohortes armatæ suam Sanctitatem, & Cardinales stipabant, & circum plerique alij milites nobilioris notæ, satrapę, ac satellites magno numero.

Ingens verò illa area è prospectu Vaticani exterior, quà supplicationi sacra via erat, tota leuioris armaturæ equitibus armatis vndique obsessa horrebat, vibrabatque.

Appulsa Majestas Pontificia ad Apostolicam ædem diuino triumpho paratam, ipso in aditu ab Collegio Canonicorum eius loci, suauissimo concentu musico cōfestim excipitur. Interea, præ inaudita populi perturbatione, ita vbique templum fluctuabat, ita sese turbarum tempestates attollebant, vt inter spississimas cohortes armatas omnia concursantes, obsidentes, pulsantes, miscentes, vix aliquid ipsis Cardinalibus tutum esset. Ego me ad illustrissimum Cardinalem de Giury, ita applicui, vt cùm ad interius septū ventum esset, tota eius familia momento, fluctuanti-

bus turbis, procul depontata, dilapsáque, Illustrissimus Dominus me altero brachio apprehensum, Heluetijs, altero me raptantibus, auulsum in Pōtificium adytum inuexerit, an quia me nullo meo merito tenerè amabat, an quia mei consilij conscius volebat, vt quæ ego ipse oculis spectassem, fideliter, non quę ab alijs inaudijssem, fortuitò scriberē: maxima verò illi ab ferreis illis pectoribus, inter omnes Cardinales, quod ab omnibus animaduersum est, exhibita reuerentia est, tum semper aliàs, tum in isto tumultu, vel præ illa veneranda canitie, vel præ opinione summæ Sanctitatis, qua Romæ apud omnes venerationi est, vel præ ipsa humanitate, & comitate quadam mirabili tractandi cum omnibus, quæ ex ipsius oculis, ex toto alloquio, ex vniuersa totius vultus conformatione in illo suauiter erumpit, saxeáque etiam pectora emollit. Tandem vt ad interius adytum peruentum est, primùm sua Sanctitas, genu humi inflexo, ad Apostolorum aram piè admodum preces fundit: dein solio parato assidens, de more, à Cardinalibus, atque ab Episcopis summississimè salutatur. Tum Conseruatores Capitolini, Mutius Matthæi, Horatius Farinacius; Robertus Caposuccus ab Paulo Alaleone ceremoniarum Magistro accersuntur: illi coram sua Sanctitate ad infimum solij gradum genuflexo, per Hieronymum Rossium suum Oratorem, consecrationem optatam exposcunt, qui procumbens item in genua, his conceptis verbis suam est Sanctitatem affatus. *Beatissime Pater, Cōseruatores cameræ almæ vrbis hîc præsentes, nomine totius Populi Romani,*

INSTANTER *petunt, per Sanctitatem vestram pronunciari piæ memoriæ Franciscam Romanam fundatricem congregationis oblatarum Turris speculorum, Catalogo Sanctorũ D. N. Iesu Christi adscribendam, & tanquam Sanctam venerandam ab omnibus Christi fidelibus.*

AD hanc obsecrationem Petrus Strossius, nomine suæ Sanctitatis, respondet eam, cùm tantæ molis, tantique momenti id negotium esset, hactenùs omni illud exquisitissima adhibita diligentia, ponderasse, quare cùm omnia necessaria ritè probata, digesta, cõfirmataque comperisset, in augustissimum illũ locum conuenisse, vt omnium maximo negotio extremam manum imponeret; videri tamen nihilominus, vt simul omnes secum sese de integro in preces darent, vt tantum opus ad Dei Domini nostri gloriam inchoatum, ipsius diuina misericordia, promoueretur. His breuiter peroratis, sua S. solio egressa præparatum in medio septo oratorium petijt, vbi infulata, & genuflexa tamdiu fuit, dum Cantores duo Litanias Sanctorum decantassent: postea, solio repetito, iterumque Conseruatoribus, vti supra, accitis, & formula eadem postulationis à Rossio iterata, tantũ INSTANTIVS additum: Strossius iterum monet diuinum pneuma, ad felicem operis exitum sedulò implorandum suæ Sanctitati visum, quę extempore ipsa Oratorium petit infulata, quousque illustrissimus Cardinalis Diaconus Franciscus Sfortia, qui dextra, pro munere, adsistebat, cõuersus ad populũ clarè in hãc vocẽ erupit, ORATE. tum enim oppidò suę Sanctitati Tyara sublatus, cæteri

pariter

pariter Cardinales, omnesque Præsules tyaram eius exemplo abiecerunt; eoque statu omnes in interiori oratione persliterunt, quoad Illust. Cardinalis alter ad læuam Diaconus Alexander Montaltus clara voce pronunciauit, *leuate.* Quo omnes subito sese erexerūt cum sua Sanctitate, cui statim adsistentes antistites sacrum codicem obtulerunt, vnde illa, sacro hymno, ritè inchoato, cæteris præcinendo, initium fecit; simul iterum in genua sese demisit, donec, primo versiculo decantato, iterum infulata solium petijt, cū cæteri omnes interim recti consisterent, vsquedum, finito cantico, Cātores conceptum versiculum succinerent, suaque Sanctitas orationem ritualem, & consuetam de diuino Spiritu, voce ad cantum suauiter inflexa, recitasset. Tum siquidem tertiùm acciti Conseruatores, tertiùm postularunt, ijsdē præcisè verbis, prætérquā hîc INSTANTISSIME, adiunxerunt, tertiū quoq; Strossius excepit, iam suæ Sanctitati abūdè persuasum ita diuinæ bonitati placere, quare etiam sibi cōstitutū esse, ac certum, B. Franciscam inter Sanctos habere, haberíque velle, quæ, non modo toto vitę genere clarissima, sed ingentibus miraculis patratis illustrissima fuisset. Igitur extemplo, qui suæ Sanctitati adstabant sacrum volumen illi exhibuerunt, ex quo infulata, assidensque in solio, ex concepta formula, mira majestate, & incredibili verborum pondere, consecrationis sententiam denique pronunciauit; B. Franciscam Sanctorum albo censuit; deinceps, vt pro Sancta coleretur ab omnibus, seuerè decreuit, eius anniuersarium

Veni creator Spiritus.

diem festum, ad septimum Idus Martias, celebrari iussit; officium de muliere sancta nec martyre, nec virgine fieri instituit; eius nomine templa, atque aras excitari permisit, vbi eius patrocinio exorato, sacrificia soli præpotenti Deo imposterum offerantur. Prolata sententia, magistratus Capitolini gratias immortales suæ Sanctitati, quantum in ipsis fuit, nomine populi Romani, sueque, pro accepto tanto beneficio, egerunt: Insuper, vt canonizationis, quam vocant, diploma decerneret, suppliciter depoposcerunt; quibus sua Sanctitas fecit satis, subintulitque, *Decernimus*, salutari Crucis signo, inter hæc, ritè edito. Postea populi Romani Orator, ad Protonotarios Apostolicos verso sermone, ab illis obnixè postulauit, vt, quæ ipsorum partes essent, actum solemne, & authenticum de re tota exhiberent, tum, vbi opus esset, de toto negotio fidē facerent, & ratum haberent: quare vnus, è sacro Protonotariorum Apostolicorum Collegio, oppidò, alta voce, subrogauit, obsecrationique Populi Romani ritè annuit. Iamque vltimùm expedito negotio, Conseruatores propius ad solium applicātes suæ Sanctitati summissè, pieque pedes exosculantur. Hîc nulla oratione satis exprimi potest, quàm festo applausu, quasi ad condictum, credo ego signo aliquo dato, tota Roma vndique misceri, & quasi ex fundo commoueri, cierique cœperit: omnia ædis Vaticanæ æra campana certatim insonare, omnes Cantorum turbæ omnia diuino concentu complere; omnes Pontificij tubicines, omnia Heluetiorum tympana, & crotala, per

templum interius, per ipsa atria, atque areas, circunsonare, palatium Apostolicum, area magna anterior, arx sancti Angeli, plusquam quingentis inde passibus dissita, arx Capitolina, variæque aliæ vrbis regiones sclopis, bõbardisque innumerabilibus cõplodi, tonare fulgurare, vno eodemque penè momẽto cõiurarunt. Interea sua Sanctitas erecta, tyara deposito, triumphalem Ecclesiæ Catholicæ hymnum aggressa, choro anteibat, quo finito, Cardinalis Diaconus dexter Sfortia versiculum cecinit, *Ora pro nobis Beata Francisca,* quem choro Cantorum excipiente, sua Sanctitas, clariori aliquãto tono, Sanctæ ritualẽ orationem tunc primùm recitauit. Quibus omnibus ad hunc modum prosperè, sancteque exactis, Illustriss. Cardin. Andreas Perretus Diaconus decantando euangelio paratus, confessionem generalem, quæ ante Missæ sacrum solet, exorsus, auspicatò S. Franciscam secũdum Apostolos, compellauit: qua, post solitam absolutionem, iteratam sua Sanctitas sanctam vicissim inseruit, demumque, rebus ex animi sententia, cũ diuina ope, transactis, indepressius solium migrauit, vbi ad rem diuinam faciendam, sacrá vestẽ mutaret, choro interea horarias preces alternis modulatè canente, quibus tempori expeditis, Augustissimum sacrificium, tam admirabili maiestate, adeò diuinis, & grauibus ceremonijs, tanta significatione summæ Sanctitatis, tam inusitata spectãtium admiratione, tam suaui interioris animi gustu, adeò celebri cantorum, ministrorum, & totius exterioris ornatus apparatu iniuit, vt nulla cogitatio ad æsti-

Te Deum laudamus.

mandum, nulla oratio ad referendum, nō dico a quouis oratore, sed ne ab Angelico vllo spiritu quidem par afferri possit: quo mihi elingui pręsertim, ac propè infanti magis censui supersedendum: maximè verò cùm tanta res, tātaque magnificentia, iustum, & separatum opus feriati, & otiosi, & bene diserti oratoris exigat; nec verò peculiare id fuerit, aut proprium huius pompæ opus, verùm vulgare, & cōmune summorum Pontificum pensum, præcipuis aliquot anni diebus, qui sanctiori quadam celebritate coli consueuerunt. Reliquum igitur, opinor, vnum est, ne tamen reliqui diei, sequentisque festas populi Romani, familiæque Pontificiæ gratulationes importuno silentio prætereamus. Descripsimus alio loco commodiùs S. Franciscæ tumulum, ad Sanctæ Mariæ nouę positum. Ea ædes est in extremo illo vastissimo cāpo, quem cāpum vaccinum vulgus appellat, proximè viam sacram veteribus dictā, ad arcum Titi Vespasiani: campi vaccini, ex vsu nomen inuectum; nam opportunitas loci eò boues, bubalos, pecora, & alia id genus animalia esculēta ad macellariorum commoditatem comportari suasit. Hinc nonnulli forum Boarium priscis celebratum, errore nominum existimarunt: ego Romanum forum potius arbitror; Boarium verò multo depressius versus ædem S. Georgij in velabro; cùm luculentissima adhuc exstent in isto campo vaccino rudera nobilissimorum veteris Romæ, imò celeberrimorum ædificiorum: Palatij imprimis, atque rostrorum ad hortos Farnesianos, vbi frequentissimæ causæ

à summis oratoribus perorabantur; ædis concordiæ, quo passim Senatus conuocabatur. Capitolij, vbi Reipublicæ tota frequentia, consules, & reliqui magistratus frequentes aderant; publici ærarij ad templum S. Adriani Martyris; Arcus marmorei omnium, qui videri possunt, illustrissimi Septimij Seueri; porticus Iustini, ac Iustinæ Impp. porticuum Cæsarianarum; Templi pacis omnium, quæ Romæ exstabant, amplissimi, & sumptuosissimi; variorum præterea delubrorum Castoris, & Pollucis; Rhemi, & Romuli, ad quæ vulgo etiã Senatus confluebat; quorum alterum hodie ædi SS. Cosmæ, & Damiani, alterum S. Mariæ nouæ tribuitur; quid autem magis in promptu, quàm forum Romanum cognominatum, cui arx vrbis Capitolium, sedes ordinaria Senatus, forum iudiciorum, ærarium maximum (hoc est tota Roma) per ambitum imminebat? cui porrò credibile videatur in foro omnium Romæ frequentissimo mugitibus boum, & balatibus pecorum relictum vllum locum fuisse? quæ ego eo strictim inieci, quòd ægrè ferrem, illam parum rationi consentaneam sententiam passim Romæ in doctiorum ore versari: nec nihil etiam in rẽ nostram interim effecimus: nam Sancta Maria noua, cùm recta ex aduerso Capitolij, in hoc extremo ingẽtis spatij foro Romano sit collocata, Religiosi, qui inibi institutum S. Benedicti montis Oliueti sanctissimè obseruant, nec suæ probatissimæ pietati, nec suo virili muneri defuerunt. Totum immensum illum campum ad infinitam populi frequentiam compo-

fuerant: maxima ex parte omni genere florum, lilijs, rosis, violis, hyacinthis, alijsque strauerant; Ædis prospectum anteriorem, cum atrio, exquisitissimi operis peristromatibus conuestierant; interius omne templum pannis sericis variorum colorum, atque operũ, pulchra sanè specie, exornauerant: sacrum imprimis Sanctæ tumulum, elegãti tabernaculo exactissimè inaurato, subtexerant, extuleruntque, vbi varijs locellis varia lumina, magno numero, ex vasis argenteis interlucebãt; Pleraque verò vasa, eadem arte cum tabernaculo inaurata, multiplicis varietatis coronamenta, & serta obiectabant: in summo operis fastigio Sanctæ effigies, cum Tutelaris Angeli, vt semper solet, decóre admodum prominebat. Eò, postridie maximè sanctæ Franciscæ consecratæ, tum omnium, quæ esse vulgò potest numerosissima supplicatione, nomine populi Romani indicta, tum priuatis omnium ciuium studijs, tanta omnium ordinum visa frequentia, vt omnem scribendi facultatem, omnemque reuera fidem longè transcendat. Ipso celebritatis die, quid ego dicam totam Romam ita omnibus gaudijs exilijsse, itaque omnibus triumphis se extulisse, vt non ciuem suam vnam cælestibus adscripsisse, sed ipsa tota in supremum cælum elata videretur? Vaticanũ super omnia, proximè sequẽti nocte, & altera diei cõsequentis, tum Capitolium, postea Cardinalium omnium, & Romanæ nobilitatis, & triũ Rotæ in hac causa iudicum, tota Palatia, tum priuatæ vrbis ædes, certis luminibus, quæ ex trãsuersis laternis omnium colorum, & lucem,

& omne colorum genus emittunt, infinito numero certè in palatijs, ad omnes porticus, ad omnes fenestras, ad omnia mæniana, ad omnes prope inanitates, inusitata quadam specie, visebantur: festi ignes, ac foci, per omnia compita, per omnes vicos, ad fora omnia innumerabiles excitabantur: Neronianum incendium sanctiori spectaculo innouatum, Romamque ex imo vniuersam conflagrare diceres. Præcipuę partes suæ Sanctitatis, sine exceptione, ad Vaticanũ, & ad molem Hadriani, quam arcem S. Angeli vulgus vocat, haud dubiè fuerunt: nam, ineunte crepusculo noctis, per multas horas, continuò bombardæ omnis magnitudinis, ex arcis, ex omnibus propugnaculis extimis, intimisq́;, & ex arcibus incredibili fragore, terroreque displodi cœperunt: simul, omnibus ingenijs coniuratis Italorum, quæ ea parte regnant, varia exhibita spectacula ignium fusilium, volubilium, liquabilium, maximoque artis miraculo rotatilium, globosorumq́ue varios horrores, stuporesq́ue præstabant; quoad omnẽ ingenij excellentis ad illa iocularia puluerea vim victam in Girandola, quam barbarè dicũt, ipsi vidimus, atque obstupuimus. Ea ex solis fusilibus flammis simul, inexplicabili numero, arte quadam, per inane vibratis constat, quæ ita sese quasi in ingentem fornicem, nescio quo ingenio, circunfundunt, vt cælum ardere vndique ementiãtur. Tantundem, pro captu, Capitolium, lectissima nobilitate Romana maximè de gloria decertante, postridiè imprimis exhibuit. Fas sit dicere, ita illis noctibus, Romam vibrasse, irradiasseq́ue, vt

elusa nocturna caligine, sese vltro celantibus astris, sola sua luce diesceret. NVNC quid cogitant? vbi sunt nostrates momi inuisæ nitedulæ generi humano, non modo Christiano, qui aliena facta carpere, quàm sua emendare plus pensi habēt? qui sanctæ, diuinæ, triumphantisque Catholicæ Ecclesiæ egregia, & diuina facta arrodere, quàm suæ caulæ vagę, intermortuæ, inclinantis, ac perendie sua lubricitate defluxuræ ingentes errores circumspicere, & interpolare, hostili plusquam ingenio, malunt? Huc veniant aliquando citati, mihiq́ue aurem semel patienter accommodent. Primùm qui adhuc inter illos virtutem moralem saltem, sin minus Christianā aliquo pretio habent, quos aliquot esse non dubito, deponant tandem, me authore, anticipatam illam infensi, atque inimici animi acerbitatem, tum pacato, serenóque animo, tranquillè apud se, sedatéque recogitent, Ecclesia Catholica (quam magis quòd ita solent, quàm quod ita sentiunt, auersantur) quo loco, qua æstimatione, qua gloria, virtutis excellentiam Christianæ reponat: euoluāt omnia volumina Philosophorū, etiā qui in virtute beatitudinem sitam insulsè voluerunt, scrutentur omnes ritus omnium orbis habitabilis nationum, omniū gentium, omnium seculorum, diuinam vetustiorem paginam percurrant; nusquam gentium, nusquam seculorum, eo loco, eo pretio, eóque culmine maximę gloriæ germanam virtutem habitam, pro certo comperient, quo ab Catholica Ecclesia diuinitus afflata, inde à Christo nato, semper habitam, vel ipsis frementibus,

tibus, demonſtrare, & conuincere clarius luce poſſumus: in qua tamen Eccleſia vitiorum ſola portenta magni fieri, & niſi iam illos vehementer pudet, adorari iniquiſſimè, atque impudentiſſimè mentiuntur. Philoſophi, verbo tenus, ad inanem oſtentationem, virtutum, vt & iſti ſcioli, nomen colebant, reipſa calcabant, & ludificabantur, quod candidè Cicero illis obiectat; nec apud illos niſi inania virtutum crepitacula audiebantur. Romani, cæteríque, viliſſima idolorum ſeruitia, nō virtuti, ſed flagitijs omniū tota natura execratiſſimis diuinos honores deferebāt; Veneri, Iunoni, & Floræ Romanæ viliſſimis ſcortis, Baccho ebrioſorū maximo, Ioui infinita laſciuia infami; quid Ganimedi? quò vlterius barbara infamia exundare potuit? iam Diocletiano naturæ prodigio, eiuſq; alteri Ganymedi Antinoo, Neroni verò omnium turpitudinū gurgiti profundiſſimo, vſque ad naturæ æternum dedecus inquinatiſſimo, alijſque ſcelerum omnium immenſis voraginibus, an adulandi cauſa vltrò adducti, an obſequendi neceſſitate Tyrannicè coacti, Apotheoſin decreuerunt. Vetus ante Chriſtum Eccleſia, ſummis illa quidem, anniuerſarijſque honoribus, ſanctos illos priſcæ virtutis exornauit Machabæos, Iudith, Heſter, Patriarchas, & Moſem imprimis, quos tam effuſo cultu proſequebantur, vt Rabbinorum, & noſtratium Doctiorum ſententia, corpus Moſis illis diſtrahendum fuerit, & auellendum, ne populus efferatus, & ad Idololatriam paſſim procliuis pro Deo haberet. Nec inficior tamen veteres illos in illis Sanctis venerandis maiorem quandam moderationem adhibuiſſe, & meritò, quòd necdum Beatitudine fruerētur, atque

adhuc in limbo ſubterraneo, etſi certa ſpe futuræ beatitudinis, obſoleſceret. Ad legem Euangelicam germana illa, & ſincera, & perfecta gloria ſpectabat, multóque ante diuinus Pſaltes ea de cauſa gratulabundus decantarat. *Nimis honorati ſunt amici tui Deus, nimis confortatus eſt principatus eorum.* Catholica Eccleſia nullos omnino Deos, nullaſque Deas, præter vnum adorādiſſimum numen agnoſcit; quique ſecus ſentiant omnes iuxtà, ac ſacrilegos Idololatras deteſtatur; omnibus flāmis expiandos iudicat, omnibus diris, prout naturæ humanæ quædam inuiſa prodigia, execratur. ac ſi iſti omniū importuniſſimi quadruplatores aliter aut ſuſpicantur, aut dicunt, cælo, & terræ, ſuperis, hominibúſque immaniſſimè mentiūtur; ipſóque vetuſtiſſimo calumniatore diabolo magis inuerecundi, calumniādo, effrenatíque cenſendi ſunt. Hæc recogitent, quos dixi, iſtius nationis magis cicures, hæc ſeriò ſeorſum ab ira, à pertinacia, atque ab errore perpendāt. Qui verò præcipites alieno ſenſu magis, quàm ſuo, ſolo vicinorum exemplo, rebus non dicam dijudicatis, ſed ne ad primores aures quidem admiſſis, gratis deuoluuntur in Tartarum, hîc, quæſo, ſiſtant gradum, illiúſque Satyrici memores, *nec te quæſiueris extra*, intra ſe ſeſe aliquando colligant, tum vaniſſimis mendacijs, atque calumnijs, quibus ſeſe imbui ſiuerunt, ad tempus valere iuſſis, ſemélque propinquorum amicitia, vti Euangelio clarè tenentur, ob Chriſtum abdicata, firmato veſtigio, Catholicā Religionem in otio ipſi circumſpiciant; curioſius quid agat, quid præſcribat, quid laudet, quid colat, quò tendat, quid ſpectet, quid moliatur, quos mores probet, quos auerſetur, non aliena

calumnia, sed proprio iudicio, in rem præsentem, attentè considerent: sua vicissim nostris conferant, suas caulas, cum templis nostris, suos Ministros, cum nostris Pôtificibus, Præsulibusq; omni maiestate illustrissimis; sua conuenticula circumforanea, cum Synodorũ nostrarum, purpuratique collegij amplitudine; suam voluntariam ex vrbibus, arisque nostris secessionem, cùm perpetua, inde ab Apostolis, principum orbis ciuitatum nostra possessione; sua superis, hominibusque (non sacra modò, sed ciuilia) inuisa dogmata, cum nostris omni rationi, diuinæque scripturæ consentaneis; suorum angulorum angustias, cum Catholicæ nostræ immensitatis infinitate; suam recentissimam nudiustertius paucorum coniuratione inuectam nouitatem, cum perenni nostra antiquitate comparent: hæc contraponant, hæc recogitent, considerate, quietè, sollicitè: audeo iuratus affirmare, vnã deinceps hybernam noctem nunquã in illa erraticarũ opinionum inconsiderata, temeraria, ac deuia leuitate pernoctabunt. Qui porrò humanarum rerũ quęstum, ac lucrum, illiusque mundanę gustum prosperitatis, heu miseri! proiecti! desperati! omni Religioni, suæ conscientiæ, Deoq;, proh nefas! & superis omnibus anteponunt, Idolorum mancipia Apostolo habiti, amurça mortalium, noui Titanes isto aëre, ista terra, ista clara luce, ista communi hominum societate, cæloque imprimis in perpetuum indignissimi, resipiscãt, me authore, maturè pedem referant, funem reducant, vela vertant: emergant, emergant subitò ex illa immẽsa voragine, qua conclamati in baratrum immerguntur: inuenient in Catholica Religione præsentissimum,

opportuniſſimúmque remedium: qui ſi potiùs obdurati hac tam illuſtri Catholicæ gloriæ Majeſtate ſudabunt, ſudent ſanè, modò ne nauſeent. Denique qui propria opinione inflati, ſui ſenſus peruicacia obſtinati, erroris tetra caligine circumfuſi, diuturnæ aſſuetudinis prauitate obdurati, maxima grauiſſimorum ſcelerum impunitate, horrendorum criminum licentia, conſcientiæ proiectæ, derelictæque inſenſili callo, iá non ſolùm perire dulce ducunt, ſed & alios in ruinā trahere honorificum, nigerrimę animæ, ingenia diuino furori vndique obiecta, vaſa iræ, Dęmonū deuota ludibria; egerant latè per viſcera gliſcens venenum tartareum; ne animum abijciant tantum hauſtam è baratro ſuperbiam conſtanter eructent, ſupercilium abijciant, atque hoc tantùm. ſemel ratiocinando quàm lentè, quam ſolidè, quàm ſapienter, quàm diuinè Catholica Eccleſia omnia prouideat, conſultet, decernat aggrediatur, exſequatur, adminiſtret, vel hac vna S. Franciſcę conſecratione, æquo iudicio ipſi aſſequantur; ſpondeo, iuróque matrem experientur, quam nouercam tantopere exhorreſcunt: maiorum ſuorum pios manes exhilarabunt, quorum Religionem, aras, templa, ſacra, tumulos, familias iniuſtiſſimè ipſi, defectione non obſcura, non ſolum temerarij, verùm impij, ac ſacrilegi deſertores abiecerunt: ſin ſuæ ceruicis mori obſtinauerint, mentemque ad omnia impenetrabilem obſtipauerint; interim ſtante, conualeſcente, florente, regnante, creſcente, triumphante, ſancta, inculpata, victrice, glorioſa, inuicta, æterna Religione Catholica, tum ipſi interim fremant, crepent, ſubringantur, allatrent, & contabeſcant magis. DIXI.

